HERM. FRIDERIC. TEICHMEYERI,

HEREDITARII IN CAMSDORF ET WENIGENIENA PHIL. ET MED. D. ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET BOTANICES P. P. O. SEREN. SAX. DVC. VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVL. ET ARCHIATRI ACAD. NAT. CVRIOS. IMP. LEOPOLD. CAROL. ET REG. S. S. BORVS SODALIS

INSTITVTIONES MEDICINAE LEGALIS VEL FORENSIS

IN QVIBVS

PRAECIPVAE MATERIAE CIVILES, CRIMINALES ET CONSISTORIALES, SECVNDVM PRINCIPIA MEDICORVM DECIDENDAE, EX RECENTISSIMIS ATQVE OPTIMIS EORVM HYPOTHESIBVS ERVTAE TRADVNTVR,

IN VSVM AVDITORII SVI


CVM INDICIBVS

EDITIO QVINTA REVISA, EMENDATA ET MVLTIS ADDITAMENTIS AVCTA

A


IOANNE FRIDERICO FASELIO,


MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.



IENAE, SVMTIBVS VIDVAE CROEKERIANAE,

CIↃ IↃ CC LXVII.


1822



PRAEFATIO ad LECTOREM.



Offero TIBI, Honoratiſſime Lector, Inſtitutiones meas Medicinae Legalis, in vſum Auditorum ante elaboratas, et, praelectionibus, quibus eas illuſtraui, ſaepius iteratis, anſam praebentibus, ad hanc, quae publicum videre non veretur, formam tandem deductas. Praecipua in illis inuenies argumenta, quorum in foro

ciuili, criminali ecclesiasticoque occurrentium decisio a Medicorum pendet effatis. Quicquid etiam ad resolutionem casuum, huc spectantium, medicam pertinere videbatur, secundum principia physica, speciatim physiologica, anatomica, pathologica, chirurgica et chymica, et ea quidem, quae prae reliquis vera et tuta merito iudicari persuasus sum, expositum est. Ea vero, quae mere iuridica sunt, ne in iis, qui nimis curiosi falcem in alienam immittunt messem, censerer, ICtis reliqui. Si in vno vel altero error forte irrepserit, cogites velim materiae, in qua occupatus fui, indolem, ita nonnunquam comparatam, adeoque in profundum abstrusam, vt vel oculatissimus Argus in ea coecutire possit, lapsibusque commissis veniam impertiaris, quam eo certius abs TE mihi polliceor, quo pauciora huius generis scripta a maioribus ad nos transmissa sunt.

Vale.

Prae-



PRAEFATIO NOVA.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IO. FRIDER. FASELIVS.



Institutiones Medicinae Legalis b. nostri Praeceptoris, aliquoties iam excusas, denuo iam publici iuris facimus. Suscepimus hunc laborem partim eam ob causam, quia hic liber hactenus venalis reperiri nequit, cum tamen canonis loco in collegiis doceam, partim eam ob rationem, vt amicorum voluntati, quibus refragari saluo amicitiae faedere non poteram, facerem satis.


Differt

Differt autem haec noua editio a prioribus potissimum in eo, quod non solum hinc inde, desiderante bibliopola, animaduersiones vtilissimae sint additae, quemadmodum adparebit praeprimis ex capitibus de virginitate, Impraegnatione, partu perfecto et legitimo, abortu, superfoetatione, venenis, necessaria cadauerum inspectione, vulnerum lethalitate infanticidio, tortura; verum etiam in eo, quod passim quaedam a nobis fuerint correcta.

Ingenue quidem fatemur, quod adhuc plura quae vel mentem b. Autoris exactius declarant, aut saltim quibusdam in dogmatibus pleniorem ac perfectiorem reddunt, vel ab ipso plane fuere omissa, addere potuissemus, sed nec molem compendii adaugere, nec falcem alienam in messem penitus immitere voluimus. Supplebimus ergo haec omnia, Deo vitam concedente, in Commentariis, quae in has institutiones luci publicae committere nobis est constitutum atque propositum.

Fruere interim hisce laboribus, Lector Beneuole, nihilque magis Te rogatum volumus, quam vt aequiori animo omnia excipias, typothetarum vitia, quibus distantia et absentia mea repagulum denegauit, corrigas, melioremque in partem interpreteris. Vale, et nobis conatibusque nostris faue.

CAP.



CAP. I.

DE AETATVM DIVISIONE.

1. Qu. *An doctrina de aetatibus in Medicina legali pertractanda sit, et quare?*



Multa de aetate, eiusque diuiſione apud Iuris peritos, in diſtinctione aetatum humanarum rite conſtituenda ſollicitos, in controuerſiam vocantur, ſc. 1) ratione aptitudinis generandi & concipiendi. 2) variorum actuum ciuilium ſuſtinendorum, teſtamenti conficiendi, tutelae ceſſationis, tormentorum ſuſtinendorum. Vid. de hoc caſum in *ff. Medico-legalibus* celeberrimi VALENTINI, *Sect. I. Caſu III.* vbi de conſtitutione & viribus adoleſcentis, fidiculis

ſub-

ſubiiciendi, agitur; quo in caſu TIMAEVS a GVLDENKLEE reſpondet: ſi iuſtam & ſanam ſtaturam poſſideat. Igitur aetatum cognitio ICtis eſt neceſſaria, eaque a Phyſicis & Medicis petenda, idque eo potiſſimum nomine, quoniam de corporis & animi mutatione, quibus aetatum diſparitas innititur, hi primario iudicium ferre poſſunt.

2. Qu. *Quid ſit aetas?*

Sumitur aetatis nomen modo pro menſura temporis; modo pro mundi aetatibus ſeu epochis; modo pro ſpatio centum annorum, ſeu ſeculo; modo pro huius parte aliqua; modo pro tota hominis vita; & denique pro certo vitae ſpatio, quae ſignificatio noſtri iam eſt fori. Eſt hinc aetas quaeuis vitae periodus, ſiue ſpatium, quo corporis et animi vires per ſe ſuamque naturam euidenter mutantur. Haec aetas ſeptimo quouis anno aliud accipit nomen, quia tum fit temperamenti in nobis notabilis transmutatio. Ter ſeptima enim hebdomade infantis motus in vtero percipitur, in ſexies ſeptima hebdomade partus fit excluſio, ſeptimo menſe incipit infans dentire, ſeptimo anno prima infantiae aetas clauditur, dentesque decidunt, decimo quarto anno in ſexu foeminino plerumque menſes erumpunt, etc. Hinc veteres ex hac obſeruatione concludebant, numerum ſeptenarium conſtituere climactericum fatalem, ſeu Decretorium.

3. Qu. *Quomodo aetates diuidantur?*

Ratione diuiſionis ſcriptores in diſcernendis et determinandis hominum aetatibus in varias abeunt ſententias. Alii enim duo, 4. 5. 6. vel ſeptem, alii plures, alii pauciores articulos conſtituunt. Sed congrue, ſi mihi, quod ſen-

ſentio, dicendum, magis agere videntur, qui ſex tantum ſibi concipiunt. Tot enim mutationes ſunt ſenſibiles animi et corporis, eorumque potentiarum. Iſtae vero ſunt I. *Infantia*, II. *Pueritia*, III. *Adoleſcentia*, IV. *Iuuentus*, ſ. *virilis aetas*, V. *Senectus*, VI. *Aetas decrepita.*

Vulgo quidem annorum dimenſione ac enumeratione apud ICtos aetatum limites determinantur, in quo enim acquieſcendum, vt Imperator *Inſtit. Quibus modis tutela finitur. Tit.* 22. *lib.* 1. ſancit, hac tamen cum cautela, vt in aetatibus diſterminandis ſemper mutationum, conſtitutionum et functionum naturalium magis ratio habeatur. Recte enim inquit GALENVS *Lib. VI. de tuenda ſanit. cap.* 2. *aetates exquiſito annorum numero alligari nequeunt.* Quotidiana enim id ipſum demonſtrat ac comprobat obſeruatio, aliis citius, aliis tardius pubeſcentibus et ſeneſcentibus, citius ſapientibus, iterumque deſipientibus. Hinc et in numero ſeptenario, ſupra allegato, non eſt abſoluta ſemper et neceſſaria fatalitas. Vide Celeb. HOFFMANNI *Diſſert. de annorum climactericorum rationali et medica explicatione*, §. 12.

4. Qu. *Quid ſit Infantia?*

Infantia Germ. die unmündige Kindheit, eſt aetas illa tenerior, a prima hominis, in lucem nati, origine ad tempus illud ſe protrahens, quo promte homo et expedite loqui diſcit, vel incipit, vnde infans dicitur, qui fari nondum poteſt, linguaue vti quodammodo didicit. Vnde aetati huic proprium et naturale eſt balbutire. *L. mulier ff. de verborum obligation.* §. *Pupillus verſ. Quod diximus, Inſtitut. de inutil. ſtipulat. L. fin. ff. rem pupill. ſal. for.* BALD. *in L. donatarum C. de acquirend. et retinend. Poſſeſſ.* ALBERIC. *in Diction. in voc. infans.* Vel qui minor eſt ſeptem annis. *L.* 18. *C. de iur. de lib. L.* 14. *ff. de Sponſal. L.* 1. §. 2.

ff. de administr. tut. Hinc etiam alii dicunt, quod claudatur haec aetas, quando nimirum anno circiter aetatis septimo primores dentes excidere incipiunt. Infantes itaque cum fari non possint, vel expedite loqui, intellectus etiam non sunt capaces. Si etiam quidam infantes expedita loquela non destituantur, quia tamen negotia, praesertim ciuilia, eorumque vim non perspiciunt, hinc loqui non censentur. Nemo enim dicere existimandus est, qui, quod dicit, non sentit, nec mente agitat. *L.* 7. §. 2. *ff. de suppellect. legat.* In iuris igitur negotiis gerendis infans furioso comparatur, quanquam vtriusque iudicium multum a se inuicem differat. Infantis quippe ratio quidem immatura est, sed sana adhuc, vitioque nondum corrupta, cum vitium non sit, quod ex communi lege naturae proficiscitur. At furiosi ratio matura quidem est, sed vitiosa, et non sana. Hinc, etsi infans quoque negotium gerere nullum possit, nonnullas tamen prae furioso praecipuas in iure praerogatiuas habet. Vid. ZACCHIAS, *Quaest. Med. Legal. lib. I. Tit. I. Qu. III. n.* 16. *v.* 9. vbi singula sunt recensita.

5. Qu. *Quid sit Pueritia?*

Pueritia, seu pupillaris, vt vocatur *L. fin.* §. 2. *ff. de verb. oblig.* aut impuberum aetas est tempus illud, a prima hominis natiuitate in masculis ad annum vsque 14. in femellis vero ad annum 12. sese extendens. Distinguitur haec aetas in duo spatia aequalia, duoue septennia, quorum prius infantia dicitur, posterius in duas rursus partes aequales diuiditur, in duo scilicet 3½. f. tripartialia cum dimidio, quorum prius infantiae, posterius pubertati proximum appellatur.

Pueri aeque ac infantes a ICtis furiosis aequiparantur, i. e. quicquid boni agunt, casu tantum agunt. *L. vltima*

ma in fin. ff. de administrat. tut. MENOCHIVS, *Consult.* 82. *n.* 207. *vol. I.* Vnde actus, ab ipsis editi, non sunt validi. Quamobrem nec testamentum eis condere licet. DEC. *in l. si frater C. qui testam. fac. poss. n.* 3. nec testimonium commode dicere possunt. *arg.* §. 10. *Inst. de inutil. Stip.* WESENBEC. *ad tit. ff. de testib. n.* 3.

Haec tamen comparatio non est adaequata. Nam obtinet tantum, quando sola voluntate pupilli actus geritur, vel quando agitur de eo obligando. Vbi enim alius se pupillo obligat, valet, lege, et alterius voluntate, pupilli defectum supplente. *pr. Inst. de auct. tut.*

6. Qu. *Quid sit Pubertas?*

Pubertas est vitae illud spatium, in quo primum pube in pudendis, et lanugine in mento erumpente ad generandum homo aptus euadit. Dicitur etiam haec aetas Adolescentia (quae quidem strictiori in significatu incipit anno 18. duratque ad annum vsque 25.) vel Aetas potius discretionis, quia pueri rationis et iudicii videntur redditi participes. Vtplurimum haec aetas, secundum ICtorum et LL. harumque moderatorum sententiam, in masculis decimo quarto anno, in femellis vero XIImo incipit, iuxta *Instit. Tit.* 22. *lib. I.* Sed profecto aetas haecce in femellis nimis praecox videtur. Nam puella concipere nequit prius, quam menstrua patiatur. Experientia vero docet, femellarum vix centesimam anno XIV. purgationem sustinere, teste HIPPOCRATE, *de Genitura* §. 4. MERCVRIALI, *de morbis mulierum lib.* 4. *c.* 1. LAVRENTIO, *in Anatomia lib. I. qu.* 8. BOHNIO, *in Circul. Anatom. Progymnas. XVI. p.* 242. *et seq.* ORTLOBIO, *in Historia partium dissertat.* 19. §. 9. 10.

Pari ratione de pubertate masculorum dubitare vel inde licet, quod Medici anno iam decimo quarto puberes

masculos absolute pronunciare haud possint. Sunt enim, si qui sunt, pauci, qui anno hocce pubescunt; plures, qui sexto demum ac decimo anno, immo etiam paulo nonnunquam tardius ad pubertatem maturiores euadunt.

Verum, vt cuncta ita se habeant, dubium hinc tamen ICtis relinquitur, quibus signis potissimum dignosci pubertas possit. Argumenta enim, quae HOSTIENSIS, *lib. IV. de desponsatione impuberum*, *n.* 5. *et* 7. affert, aetate scil. XIV. aut XV. pilos, in pudendis erumpentes, coëundi posse potentiam indicare, dubia profecto sunt, et falsa partim, partim inhonesta etiam censenda. Fallit enim 1) aetas, si ad indiuiduum respiciamus, 2) pubis eruptio. Quemadmodum vero haec sine pubis inspectione probari nequit: ita peccaremus contra honestatem, illam admittentes, contradicentibus inprimis LL. Vid. §. 1. *Instit. Quibus modis tutela finitur:* ibi, quod in feminis antiquis impudicum visum, hoc etiam vt ad masculos extendatur, Imperator iubet. Celeb. STRYKIVS, *de Iure sensuum*, *diss. I. cap. I. n.* 56. *et* 57. ad probandam diiudicandamque aetatem Calendaria requirit ecclesiastica, *Kirchen-Bücher*, quae probando annorum numero inseruiant. His autem deficientibus et amissis ad ocularem confugiendum inspectionem, quam Saxones etiam approbarunt. *Landr. lib.* 1. *art.* 42. cit. PETR. HEIGIO, *Comm. Instit. ad pr. Quibus modis tutelae fin.* Non tamen partium secretiorum inspectio hac ratione probatur; quae an apud Romanos vnquam obtinuerit, non immerito alii dubitant, sed & vultus et corporis vigor potius hoc casu iudicium suppeditabunt. Denique 3) coeundi potentia fallax pariter est, atque eius probatio minus honesta et casta esse videtur. HOSTIENSIS enim, *l. c.* ad coëundum illum potentem iudicat, *qui actu coit, semenque emittit.*

Hinc

Hinc pubertas iure ciuili ex annis, iure Canonico ex poteſtate generandi aeſtimatur.

Prudentius itaque, ſimulque caſtius agunt, qui, praeter aetatem, ad inſignem illam corporis mutationem reſpiciunt, cum corpora ad euidentem illam proceritatem et magnitudinem euehuntur, membra ad ſoliditatem craſſitiemque perueniunt, vox acuta in grauiorem abit, tandemque, cum mores ſimul hominum mutantur, vt prudentiae aliquid videantur prae ſe ferre.

7. Qu. *Quid ſit Iuuentus?*

Iuuentus, ſeu virilis aetas dicitur, quando poſt annum XXI. iure Saxonico, (ciuili vero XXV.) corpus ſibi debitum incrementum cepit, vigorque adeo virilis completur, i. e. non corporis ſolum, ſed et animi vires augentur. Vnde etiam firma, integra, robuſta, aut plena et adulta aetas vocatur. In hac aetate homo omnia rite et recte agere poteſt, et publica adminiſtrare negotia, rerumque gerendarum curam ſuſcipere, tueri ac perſequi.

Nonnullis quidem Philoſophorum pariter ac Medicorum iuuentus et virilis aetas diſtinctae ſunt aetates: At, quoniam leges inter vnam alteramque non diſtinguunt, ſed vtramque inter ſe confundunt, Medicorum haec diſtinctio hic non eſt attendenda. Neque enim apud ICtos quicquam eſt, quod iuuentuti cum virili aetate commune non ſit. Aetas autem iuuenilis Medicis antiquis ratione temperamenti vocatur calidiſſima. Calidiſſimi enim ſunt iuuenes, iuxta GALENVM, *comment.* 2. *de morbis vulg. tex.* 78. Virilis aetas, ſummo vigori ſuccedens, etiam conſiſtens dicitur, quia calor in eodem ſtatu, in quo conſtitutus in iuuentute erat, permanere et conſiſtere videtur, ita, vt homo in priori pulchritudine ac prioribus corporis viribus conſpiciatur. Interim tamen vires

cor-

corporis in consistente aetate reuera imminuuntur, sed non adeo notabili discrimine et sine sensu. Hinc iuuentutem cum aestate, consistentem autem cum autumno comparare solent.

8. Qu. *Quid sit Senectus?*

Aetatem virilem et consistentem necessario excipit senectus, vtpote quae aetas illa est, in qua vires magis magisque in dies imminuuntur. Manifesta enim virium declinatio et roboris degeneratio in senectute incipit; cui diuersa iuris contingunt beneficia, v. g. 1.) senioribus magis confidendum testibus, quam iunioribus, 2.) nulli tormentorum generi subiiciuntur, et si subiiciuntur, illorum tamen confessio, in tortura facta, illis non praeiudicat. V. MASCARD. *conclus.* 1285. Et FARINACIVS, *in quaestion. Criminal. qu.* 41. *n.* 25. inquit: *non posse torqueri, nec terreri etiam*, quamuis LAVTERB. *ad tit. ff. de quaest. in* S. statuat, *etiam decrepitos terreri posse, arg. L.* 1. §. 33. *ad SCtum Sil.* 3) in delictis mitius puniuntur, notante FARINACIO, *in praxi Criminal. lib. I. tom. I. parte II. concl.* 52. 4) ab oneribus personalibus excusantur, v. g. tutela, sic maior septuaginta annis a tutela et cura se potest excusare; *Instit. lib. I. Tit. XXV. de excusat. tut. vel curat.* §. 13. 5) in dignitatibus conferendis seniores semper praeferuntur.

Est autem haec aetas media intra annum L. et LXX. vbi vires hominis manifeste imminuuntur. Sed et termini aetatis huius variare possunt. Nam senectus a morbis, curis, diaeta ac laboribus euidentissime acceleratur et retardatur, adeo vt etiam difficillimum sit, terminum vitae vltimum praescribere. MENOCHIVS, *l. c.* Nihilominus, cum *senectutis formalitas* sit *virium defectus*, et, qui vires habet integras, senex dici nequeat, iudicis arbitrio

trio de senectute iudicare relinquitur, iuxta MENOCHIVM et MASCARDVM, *ll. cit.* Circumstantiae igitur et hic ius variant, vel potius applicationem iuris. V. g. Sexagenarius, corporis et animi viribus perfecte instructus, senex dici non potest, et vice versa vir quinquaginta annis minor, qui defectum virium tam corporis, quam animi, sentit, senex pronunciandus. Iuuenes enim maturius senescere posse experientia constat. Vnde recte CARPZ. q. 118. statuit, in tortura dictanda non tam annos, quam corporis vigorem spectandum. Hinc, quando quaeritur; an senes generare et concipere valeant? Resp. marem vltra annum sexagesimum ad generandum, feminam vero vltra quinquaginta annos ad concipiendum inhabilem fieri, et exempla illa, quae a variis allegantur, (v. g. a. CODRONCHIO, in *Methodo testificandi*, *thes.* 16. et SCHENCKIO, in *obseruat. p.* 558. VALERIOLA, in *Locis Commun. lib. I. c.* 18. et FELICE PLATERO, in *quaestion. paradoxis*, *n.* 38.) marium ac feminarum tardius adhuc generantium ac parientium, rariora tamen sunt, et LL. sese non adplicant. Vnde etiam Imperator, *L. si maior quinquagenaria Cod. de legitimis haeredibus*, partum quinquagenarium quidem legitimum, sed mirabilem, appellat. Et quamuis pro feminis vetulis adduci queat, quod, praeter mensium per aetatem cessationem, non necessario ad concipiendum inhabiles sint, cum, experientia teste, plurimae, quae non menstruantur, conceperint, vt ex SENNERTO, in *praxi lib. IV*, *sect. II. c.* 1. et a GVLDENKLEE, *lib. IV. c.* 7. videre est: Regeri tamen hisce debet, quod, quando feminae, ad concipiendum inhabiles alioquin, concipiunt, (deficientibus nimirum mensibus,) hoc aliter fieri non possit, quam per miraculum, vti de Sara et Elisabeth sacrae testantur literae.

Quod si proinde ex GALENO, lib. I. *de Sanitate tuenda*, c. 8. senectutem in tres, aut, secundum alios, v. g. eundem GALENVM, et HIPPOCRATEM, *Sect. I. Aphor.* 13. in duas partes diuidamus: Priorem, quae vocatur senectus florida, ad generandum et concipiendum habilem, alteram, quae adpellatur senectus decrepita, binasue reliquas, secundum ordinarium naturae cursum functionibus hisce inhabiles et minus adaequatas censemus. FORT. FIDELIS, *de Relation. Medicis, Lib.* 3. *c.* 9.

Haec senectutis diuisio quaestionem movet: *an senes inter infirmos censendi sint?* cum senectus adiunctum naturale corporis sit, infirmitas vero praeter naturam existat. Negat hoc, inter alios, MENOCHIVS, *Casu* 60. adstipulante ipsi HIPPOCRATE, *Sect. II. Aphor.* 39. Nam affectus illi, aliis aetatibus praeternaturales dicti, senibus sunt naturales, v. g. 1) dentium adfectus. 2) pituitae abundantia. 3) appetitus imminutus. 4) somnus paruus. 5) rubor oculorum. Alii affirmant, quorum argumenta ZACCHIAS affert, *lib. I. tit. I. qu.* 10. Si itaque dicendum, quod res est, in senio constituti quidem sunt infirmi quoad corpus; sed non statim quoad rationis vsum. Quando vero sensibus internis destituuntur, ad actus etiam ciuiles inhabiles redduntur. Vnde WESENBECIVS, *ad Instit. de donat. inter viuos* ait: ob senectutem senem res suas donare non prohiberi, nisi talis sit senectus, quae sensum aufert.

9. Qu. *Quid sit aetas decrepita?*

Ex his adeo patet, quod aetas decrepita, quam ab anno 70. vsque ad vitae terminum extendunt, et quae vltimam partem senectutis constituit, ea tantum vitae pars sit, vbi non solum corporis vires cessant, sed et animus vigorem suum amittit.

CAP.

CAP. II.
DE PRIMOGENITIS.

1. Qu. *Quis dicatur primogenitus?*

Primogeniti nomen medice magis referri ad eum poteſt, qui primum concipitur, quam ad eum qui primum naſcitur. Nam genitus dicitur foetus, cum in vtero conceptus eſt et mulieres generare dicuntur cum concipiunt, non cum pariunt. Apud ICtos vero Primogenitus dicitur is, qui primum natus eſt, vel vtero excluſus. i. e. qui primus vidit lucem *c.* 5. X. de V. S.

2. Qu. *An poſſibile ſit, poſterius conceptum prius naſci?*

Vtique hoc rationi non refragatur, ex gemellis, quem mater primo conceperat, poſterius naſci potuiſſe. Idque variis ex cauſis poteſt contingere, nimirum 1) ex ſitu in vtero. 2) ex priori ad partum adaptatione, *wenn der eine für dem andern ſich zu erſt wendet.* 3) ex majori, vel minori robore, dum vnus gemellorum prae altero ſemper robuſtior deprehenditur. Vid. MAVRICEAV, *des femmes groſſes, livre 2. Chapit.* 24. 4) vnus gemellorum in vtero perfecte ſanus eſt, alter v. g. primum conceptus, in vtero a morbo afficitur, adeoque debilitatur. Foetus enim in vtero materno non minus, quam extra vterum morbis eſt obnoxius, vnde et partus eius neceſſario retardatur. At vnius gemellorum aegritudo non neceſſario alteri communicatur, quemadmodum nonnulli Medicorum arbitrantur. Nam duplici gaudent vtpluri-

mum gemelli Placenta vterina, rarius, imo rariſſime vna. Vid. D. a DEVENTER, *im neüen Hebammen-Liecht*, Cap. 44. MAVRICEAV, l. c. et alios. Primogenitus porro dicitur, qui primum perfecte et totus natus eſt, non qui hanc illamue tantum corporis partem ex vtero protruſit, vt brachium, aut crus. TIRAQVELLVS, *de Iure primogeniturae*, *Qu.* 1. *n.* 8. Et adducitur huc ſacer textus *Geneſ. c.* 38, *v.* 27. de gemellis, quos Thamar, Judae nurus, edidit, quorum is, qui Sera vocatus eſt, prior manum protulit, poſterior vero natus eſt. Vnde non ille, ſed Phares, prior natus, primogenituram eſt conſecutus. Prior enim natus iura primogeniturae conſequitur, non prior conceptus. TIRAQ. *l. c. num.* 9.

Prior natus a Iureconſultis ex hac ratione pro primogenito habetur, quoniam, teſte HIPPOCRATE, *lib. de natura pueror. num.* 38. et MASCARDO, *de Probation. concl.* 1146. *num.* 31. *Vol.* 3. conceptionis dies incerta, momentumque incertum ſit, nec Medicorum vllus determinare queat, quisnam ex duobus gemellis, ex vno coitu conceptis, prior ſit conceptus. Cum ergo de prioritate conceptionis in dubio res ipſa remaneat; contra vero de prioritate natiuitatis euidens certitudo appareat: dicendum omnino, inſtituentis primogenituram mentem fuiſſe, vt, qui primo naſcitur, pro primogenito habeatur.

3. Qu. *Quis ex gemellis in ſtatu dubio prior natus praeſumendus?*

Quaeſtio nulla eſt, in cuius deciſione magis varient Doctores, quam haec; quis nempe gemellorum prior natus haberi debeat, ſi forte obſtetricum incuria, alioue ſimili caſu, id ignoretur? Alii vtrique regimen concedunt ſim-

ſimpliciter, alii cum diſtinctione, vt non ambo ſimul imperent, ſed alternis annis; alii volunt vt ambo imperent, ſi regnum ſit diuiduum, alii neutrum ſed tertio genitum ad euitandam omnem controuerſiam ac litem imperii ſucceſſorem conſtituunt, alii praeſtantiorem admittunt, alii electioni parentum, alii procerum deciſioni in ſucceſſione imperii huius dubii reſolutionem committunt, alii ad ſortem confugiunt. Congeſſit has opiniones TIRAQVELL. *l. c. qu.* 17. et ex eo WILDVOGEL in Diſſ. *de Iure Gemell. c.* 2. §. 9. et P. MÜLLER *de Prouidentia Maiorum c.* 4. §. 7. *ſeq.* Plurimi, ex coniecturis decidi rem poſſe, arbitrantur, eumque eſſe primogenitum praeſumunt, qui robuſtior, formoſiorue eſt. TIRAQVELL. *l. c.* ZACCHIAS, in *quaeſtion. medico-legal. lib. IX. Tit. XII. Qu.* 5. *p.* 822. *et ſeq.* id quod ratione roboris concedi poteſt, pulchritudinis autem nulla hic ratio haberi poteſt. Pulchritudo enim vel ex diuerſa vi formatrice; vel ex ſtructura foetus, in ouulo deliteſcentis; vel ex imaginatione; vel alia quoque cauſa euenire poteſt. Robur vero non tantum de membrorum mole, ſed et habitudine ad actiones, inprimis mentis, perficiendas eſt intelligendum. De robore corporis iudicare poteſt et debet Medicus; de mentis autem, quibus quis inſtructus ſit, viribus et aptitudine ad imperium, in arduo hoc maxime negotio, alii; inprimis, vbi de principibus gemellis ſermo eſt, quam doctrinam egregie pertractauit celeb. COCCEIVS, in *commentario ad* ZACCHIAM, pagina citata, quae in caſu neceſſitatis rationes decidendi quam ſufficientiſſimas ſuppeditabit.

Hodie nonnulli ſtatuunt, quod, ſi ſuccedentes de primogenitura inter ſe conuenire non poſſent adeoque regimen coniunctum mater rixarum permaneat, ſuadendum ſit ſortis iudicium, tanquam vltimum refugium,

partim cum S. Litterae hoc iudicium variis in locis approbent, vt LEVIT. XVI. 8. NVM. XXVI. 55. IOSVAE VII. 14. I SAM. X. 19. ſeq. ION. I. 7.; partim quia hoc ſortis iudicium iam antiquiſſimis temporibus in vſu fuiſſet, vti pluribus comprobauit WALTHER *in Diſſ. Regiom.* 1704. *hab. de quaeſtione: Vtrum ſors in Electione Magiſtratuum hodienum iuſte ſit intermiſſa.* Et ita etiam olim deciſum fuiſſe in Dicaſterio Ienenſi refert LYNCKER, *Cent.* 8. *Deciſ.* 781.

4. Qu. *Vter gemellorum, ex matris vtero exſectorum, prior natus praeſumendus?*

De gemellis huiusmodi dubitare nonnulli volunt, an pro natis habendi ſint, cum certum ſit, eos non naſci. Naſci enim ex ipſa foetus et matris virtute contingit; matris quidem expellentis id, quod ſibi oneri eſt, tanquam aliquid eiusmodi, quod ſuo tempore vitam et ſanitatem matris conturbat; foetus vero exitum ab vtero quaerentis, vt liberiori ad viuendum aura fruatur. At hi neque matris, neque propria virtute vrgente, ſed per vim et aliena manu, Chirurgi quippe, ex vtero materno exciſi, in lucem prodeunt. Sed hae difficultates diluuntur per ea, quae adducit ALPHONS. DE CARANZA, *lib. de partu naturali et legitimo, cap. 6. Sect. I. num.* 12. vbi foetus, ex matris vtero exſectos, non minus, quam qui naturaliter naſcantur, pro natis habendos eſſe, affirmatur.

Quando vero gemelli ſectione chirurgica, inprimis in matre mortua inſtituta, extrahuntur, is a chirurgo primum extrahitur, qui primum in manus incidit. Hic vero primum natus dici ideo non poteſt, ſiquidem extractio haec ſoli debetur voluntati, Chirurgi ſcilicet, adeoque eſt arbi-

arbitraria. Gemellorum igitur is primo dicendus est genitus, non qui primum vtero exsectus fuit, sed qui nasci primum debuerat, si nati naturaliter fuissent, id est, ex collatione et comparatione virium viuacitatis, structurae corporis maioris et melioris vtriusque controuersia decidenda. Is enim, qui viuacior est altero, non primum tantum conceptus praesumitur, sed, ob vim maiorem, sibi etiam primum ex vtero materno viam parare potuisse, non est incredibile.

Alii, et quidem non pauci hodie in ea versantur opinione, quod vel vtrique gemelli ad successionem sint admittendi, vel casus dubius sortis iudicio committendus. Vid. STRYK *de Success. ab Intest.* Diss. I. Cap. 3. §. 21.

CAP. III.

DE NECESSARIA FOETVS EX VTERO MATRIS, IN PARTV MORTVAE, EXSECTIONE.

Cum in priori capite de primogenitura gemellorum, vtero exsectorum, egerimus, haud supervacaneum esse duxi, hancce quoque materiam, Theologis pariter ac ICtis scitu necessariam, insimul pertractare. Quotidiana enim experientia, tristissimis sane exemplis, docet, quod singulis fere annis, omnibus in locis, parturientes pereant, antequam foetum in lucem ediderint, neque vero semper constet, an foetus in vtero matris mortuae adhuc in vita superstes sit, id quod tamen interdum per signa euidentissima, motum v. g. foetus, confirmatur. Vid.

DOLAEVM, *Encyclopaed. chirurg. Lib. 4. C. V.* qui in grauida, apoplexia mortua, se altero die motum foetus percepisse testatur. Sed et adsunt exempla, vbi, matre mortua, foetus, propriis suis viribus, se ex ergastulo suo et mortis faucibus liberauit, et ex vtero exiuit. Vid. Cel. VATERI, Witteb. *Diss. de partu hominis post mortem matris.* Ideo plerumque contingit, quod foetus, viuus in vtero matris mortuae, per negligentiam adstantium, sepeliatur. Ne itaque hoc fiat, ad foetum seruandum, absolute sectio matris post mortem requiritur. Nec desunt quoque exempla eorum, qui cum alias lucem non adspexissent, hoc modo fuere conseruati, qualis fuit Iulius Caesar, qui nomen a caeso matris vtero, dum nasceretur, adeptus. Qui enim caeso matris vtero in lucem prodibant, caesares dicebantur, necatis vero matribus, qui nascebantur, caesones appellabantur, Ausschnitlinge, V. PLIN. H. N. *libr. IX, cap.* 2. CON. PH. HOFFMANN *de insignioribus puerperii temporibus p.* 19.

I. Qu. *An in corpore Iuris lex reperiatur de hac materia?*

Vtique, et quidem *Lib. XI. Dig. Tit.* 8. *L.* 1. vbi lex regia, a Numa Rege religiosissimo data, expresse praecepit, quod mulier praegnans mortua prius, quam partus ei excidatur, non sit sepelienda, qui contra fecerit, spem animantis cum grauida peremisse videatur. Hoc pium, iustum et vtile praeceptum legislatoris hactenus plane, tam a Theologis, quam ICtis, imo tandem Medicis ipsis, neglectum fuit, et dolendum, quod lex illa saluberrima, humana pariter ac diuina, non sanctius hodie colatur, et in praxi obseruetur. Cum vero Magistratus seuere puniat meretrices, quae, ob negligentiam et concomitantem anxieta-

xietatem, funiculum vmbilicalem infantis debita ligatura non conſtringunt, et ita infantem interficiunt: non video, quare non puniat, et illos, qui ex intermiſſa matris mortuae ſectione foetum, adhuc viuum, in vtero materno interficiunt.

Praeſens quidem tempus hancce ſectionem, olim neglectam, reſtituere videtur, dum legum interpretes et DD. ſint in ea opinione, quod illi, qui foetum, ex matre mortua exſcindendum, neglexerint, eadem poena ſint puniendi, quam qui alio modo ei damnum intulerint. Vid. Ill. WILDVOGEL. noſtr. *Diſſ. de Iure embryon.*

2. Qu. *An ſectio illa ſemper ſit neceſſaria, et effectus optatus ſperandus?*

Vtique. Si enim non ſemper, tamen ſaepe ſeruatur ita foetus. Et quamuis motus foetus non amplius percipiatur, tamen non abſolute concludi poteſt, quod ſit mortuus. Debilitatur enim a partus moleſtiis, et ideo motum manifeſtum exercere non poteſt foetus. Quando vero per analeptica reficitur, facta ſectione, non tantum ad ſe redire, ſed et viuus permanere valet. Fuerunt quidem olim Medici atque Chirurgi, vt DIONIS, PAREVS, MAVRICEAV aliique, qui, ex falſa opinione perſuaſi, putarunt, ſectionem eiusmodi ſemper eſſe *fruſtraneam*, quoniam vita foetus in vtero a vita matris abſolute dependeat, hincque matre mortua actum quoque ſit de vita foetus. Sed hi non ſunt audiendi, cum certum ſit, vitam foetus quidem a matre in tantum dependere, ſed non in totum. Corculum enim foetus proprio ſuo motu gaudet, et ideo circulationem ſanguinis et fluidorum, per conſequens quoque vitam, ad tempus poſt mortem matris continuare poteſt, quamuis cum aliqua debilitate. Eſt ideo et ipſe

deficiens motus foetus, in vtero matris mortuae inclusi, non stringens argumentum, quod hancce sectionem plane interdicere possit. Foetus enim quiescit interdum, absque vllo motu, per aliquot dies, adeo vt ipsae grauidae et peritissimi Chirurgi ac Medici, expertissimaeque obstetrices illum pro mortuo habeant, quemadmodum hoc confirmant obsaruationes, et inter alias illa notabilis, quae DEVENTER *in seinem Heb-Ammen Liecht, C.* 32. refert.

Et posito, quod effectus et exitus dubius sit, tamen, iuxta NYMANNVM, *in Tr. de vita foetus in vtero, p.* 57. praestat, centum praegnantia cadauera frustra incidere, quam semel permittere, vt foetus viuus in vtero matris misere pereat, et suffocetur. Praeterea dantur exempla, quae felicem foetus viuentis ex vtero matris mortuae exsectionem confirmant. Vid. varia talia collecta non tantum in SCHENCKII *obseruationibus Med. Lib.* 4. *p.* 664. sed et in Cel. HEISTERI *Diss. de Foetu ex vtero materno exscindendo et de ruptura vteri. Altd.* 1720. Legi etiam possunt CHR. VATERI *Diss. de partu caesareo. Wittenb.* 1695. POLYC. GOTTL. SCHACHERI Progr. *de sectione caesarea, in matre sub partu mortua, adhuc peragenda, Lips.* 1731.

3. Qu. *An certa dentur signa, quae confirmant, grauidam reuera esse mortuam?*

Omnino. Potiora ex pulsus, caloris naturalis, respirationis, motus et sensus absentia, nec non ex pallore, liuore, artuum rigore, maculis liuidis, quae mortuis inesse solent, quas stigmata appellamus, desumuntur; quando enim tales circumstantiae adsunt, Medicus et Chirurgus, salua conscientia, operationem suscipere potest.

Obii-

Obiiciunt quidem et hic contradicentes, et sectionem eiusmodi dissuadentes, quod dentur exempla parturientium, quae exantlatis grauissimis partus laboribus in suffocationes hystericas et lipothymias inciderint, hincque, pro mortuis habitae, sepultae fuerint. Vid. SCHENCK. *l. c. obs. de vteri suffocationibus*, quo pertinet omnibus notum illud exemplum feminae *Coloniensis*, ex tumulo resurgentis, de qua historia, ob ridiculas circumstantias, plerique dubitant. Sic de Vesalio, Bruxellensium Anatomico et Chirurgo, Cel. refert ADAMI, *in vita* VESALII, quod hic Medicus feminam, ab vtero strangulatam et suffocatam, hinc pro mortua habitam, tertio post mortem die cultro anatomico subiecerit, postea vero illam viuentem deprehenderit.

Ex his allatis vero non sequitur, nullam prorsus grauidam esse mortuam, et posito, quod interdum parturiens, adhuc viuens, et ex supra allatis signis pro mortua habita, aperiatur: tamen illa a manu Chirurgi non interficitur; instituitur enim ita sectio caesarea primi generis, nempe matre et foetu viuente, quae operatio, etiam quando foetus viuus per vias ordinarias exitum inuenire haut potest, ad foetum seruandum absolute suscipienda, vi conscientiae.

Talis sectio quidem a nonnullis Medicis atque Chirurgis absolute lethalis habetur: sed, hoc falsum esse, ratio et experientia confirmat. Qui inter recentiores primus hanc curandi viam ingressus esse videtur, fuit ἀρχότομος HELVETVS, qui anno circiter MD. propriam vxorem tam feliciter curauit vt ea, post gemellos et quatuor adhuc infantes, enixa fuerit, vid. BAVHINVS *in Appendice* ad ROSSETVM. Imo instituit quoque hancce operationem ante aliquot annos Dn. D. FROBENIVS, Medicus Koenigseensis, amicus noster honoratissimus, felicissimo

cum ſucceſſu, foetumque extraxit viuum, poſtea vulnus abdominis et vteri conſolidauit, matremque ita et foetum ex mortis faucibus eripuit. Vid. plura in Cel. VATERI et SLEVOGTII *Diſſ. de Sectione caeſar.* item ROVSETTI, et aliorum tractatus de hac materia. Periculoſior quidem eſt operatio in matre viua, quam in mortua, ſed non abſolute lethalis. Nam in mortua tantum cauetur laeſio foetus, in viua autem et foetus et matris. V. PAVL A SORBAIT *in prax. medic. tractat. V. in exam. chirurgic. pag.* 441. 442. Probabile enim eſt, quod vaſa vteri, in hac operatione diſſecta, breui tempore, dum vterus in priſtinum ſitum properat, coarctentur, coëantque, et ſic amplius ſanguinis effluxum non permittant. Inprimis vero talis haemorrhagia lethalis declinatur per conuenientem ſtypticorum applicationem.

4. Qu. *Quasnam praeſtet vtilitates haec ſectio.*

Varias. 1) Conſeruatur integritas Reipubl. et futuri ciues. Melius enim eſt, iuxta effatum ſapientiſſimi Imperatoris, ANTONINI PII, vnum ſeruare ciuem, quam mille occidere hoſtes. 2) Ita conſeruantur Principum legitimi ſucceſſores, et ſic tranquillitas publica. 3) Conſeruantur familiae priuatae. 4) Maritus ita fieri poteſt haeres bonorum vxoris. 5) Infans quando viuit, id quod cognoſcitur ex pulſu vmbilici, baptizari poteſt.

5. Qu. *An foetus, qui ſeptimum menſem in vero nondum ſuperauit, quoque matre mortua ſit exſcindendus?*

Certum quidem, et per experientiam confirmatum eſt, quod tales foetus nunquam ſint viuaces et vitales; hinc-

hincque in vita conferuari non poffint: aft quoniam pleraeque tempus impraegnationis et geftationis ignorant, et faepe diutius fint grauidae, quam ipfae fciant; ideo talis fectio et hic non negligenda. Ad minimum duplex ex tali incifione fluere poteft vtilitas, 1) baptifmus, 2) fucceffio legitima in bona matris.

6. Qu. *An Chirurgus et Medicus, qui eiusmodi fectionem inftituit, non vero omnes ceremonias, alias in hac operatione vfitatas, obferuat, de crimine quodam fit accufandus?*

Veteres quidem hancce operationem fufcipientes, ftatim os matris mortuae aperiebant, et interiecto dentibus ligno illud apertum feruabant, imo plane pudenda dilatabant mortuae per digitos obftetricum. Putarunt enim, per eiusmodi remedia conferuari poffe refpirationem foetus in vtero. Sed eiusmodi actus plane funt inutiles. Foetum enim, tunicis inclufum, non poffe refpirare, certum eft, et a nemine amplius in dubium vocatur. Sufficit ideo ad hancce operationem, vt Chirurgus quam citiffime abdomen grauidae longa incifione aperiat, eo quidem in loco, in quo alias caefarea fectio inftituitur. Sunt quidem, qui cruciatam commendant: quoniam vero illa adftantibus horrorem excitare poteft; ideo fupra allegata methodus magis praeferenda. Poftea vterum fimili incifione, prouida tamen aperire, decet, ne foetus laedatur. Foetus, per aperturam vteri extracti, funiculus vmbilicalis ftatim ligandus, et abfcindendus, et, fi debilis eft, analepticis et fpirituofis aquis, vt cinamomi, embryonum balfamo, etc. confortandus. Vid. plura in

CAROL. STEPHANI *Lib. de Diſſectione corporis humani*, in ſpecie *de ſectione vteri*.

CAP. IV.
DE VIRGINITATE.

De virginitate femellſarum integra et violata apud ICtos et Medicos eſt quaeſtio. Vide HEINRIC. KORNMANN, *de Iure virginum*. Quando ſcilicet aliqua virginem ſe iactat, coitumque hinc admiſſum negat, aut ſtupro ſe vitiatam profitetur, iudicis hinc opem atque arbitrium implorans. Quamobrem virginitatem pertractare etiam hic neceſſum, operaeque pretium ducimus, nec a noſtro alienum inſtituto exiſtimamus.

1. Qu. *Quid, et quotuplex ſit virginitas?*

Duplex datur virginitas, moralis altera, altera phyſica, ſeu materialis. *Moralis* quidem dicitur, vbi puella nondum cum viro rem habuit, nec ipſis digitis, nec alio quoque petulanti inſtrumento, nec caſu, aut ſaltu, clauſtra virginalia deſtruxit: tamen, quamdiu amoris compreſſione immunis fuit, virgo dici meretur.

Corporalis, phyſica, ſeu materialis autem virginitas illa dicitur, quae per ſigna materialia, ex conſtitutione et integritate naturali organorum deſumenda, dignoſcitur.

2. Qu. *An ex certis quibusdam ſignis cognoſci poſſit virginitas?*

Inſignis, tam ICtorum, quam Medicorum, eſt numerus, qui ſolliciti hactenus fuerunt de virginitate, tum abſen-

abſente, tum praeſente. Vnde quaeritur: An certa quaedam, quibus dignoſci poſſit, virginitatis integrae, aut laeſae corruptaeue ſigna dentur? Plerique equidem ICtorum a Medicis perſuaſi fuere, certiſſima et infallibilia virginitatis integrae ac laeſae ſigna et criteria conſtare. CVIACIVS nihilominus, *lib. XVII. obſeruat. c.* 20. et SANCHEZ, *lib. VI. de Matrimonio, Diſput.* 113. *num.* 10. certa ac infallibilia virginitatis ſigna dari, negant ac pernegant, quibus ex Medicis adſtipulantur quam plurimi, vt HORATIVS AVGENIVS, in *Epiſtolis ad Oliuarium, lib. I. Tom. II.* PINAEVS, *de notis virginitatis.* CAPIVAC. in *tract. de ſignis Virginitatis.* CODRONCHIVS, in *methodo teſtificandi, Cap. II.* PARAEVS, *de Renunciationibus.* IOVBERTVS, *lib. V. c.* 4. *errorum popularium.* IO. PAPT. SYLVATICVS, *de iis, qui morbum ſimulant, C.* 9. RIOLANVS, *lib. II. Anthropographiae, cap.* 38. FORTVNATVS FIDELIS, *de Relat. Medicis, l.* 3. *c.* 1. RANCHINVS, *de morbis virginum, Sect.* 1. *C.* 4. GVILLEMAV, *l' abuſe ſur le procedure de l' impuiſſance.* MAVRICEAV, *de morbis mulierum grauidarum, et parturientium, lib. I. c.* 6. BOHNIVS, *de Officio Medici, Part. II. c.* 6. *de Renunciationum difficultate, p.* 636.

Hinc non immerito de notis veris ac infallibilibus virginitatis dubitare volunt. At auctorum hac de re diſſenſus rei ipſius veritatem non tollit, aut deſtruit. Si dicendum, quod res eſt, dantur omnino certa quaedam ſigna, ex quorum praeſentia ad virginitatem praeſentem, et ex quorum abſentia ad virginitatis abſentiam argumentari poſſumus.

3. Qu. *Quibus ſignis dignoſcitur virginitas?*

Variis; quorum primum eſt *hymen*, ſeu membrana aliqua mediocriter tenuis, tenſa, ex occurſu membranae

inter-

internae vaginae vteri cum membrana faciei internae magnarum alarum formata, extremitatem anteriorem seu externam vaginae cingens, magis minusue lata, plus minus aequalis, plus minus circularis, interdum oualis, in quibusdam angusta, in aliis amplior, qua in vaginam hiat aperturam relinquens, in genere vero orificium vaginae externum diametro cauitatis ipsius angustius reddens, post sui rupturam lacinias, *Carunculas Myrtiformes* dictas, relinquens. Vid. EISENMANNI *Tabul. Anatom. Vteri duplicis.* Caeterum haec membrana in primo congressu, vbi accessum viri quodammodo difficilem reddit, rupturam, et largiori fluxus menstrui sanguinis, aut diuturno fluore albo, per varios etiam accidentalesque casus peculiares, ex imprudentia, petulantia, animique leuitate, insignes mutationes patitur. Huius hymenis existentiam nonnulli negant, alii affirmant, alii diuersimode id sibi concipiunt, alii pro praeternaturali plane ac monstroso id habent. v. g. RIOLANVS protensionem carneam vocat: FALLOPIVS nerueam, ex ligamentis et vinculis retiformibus congestam; BERENGARIVS, et MERCATVS, ac olim AVICENNA congestionem caruncularum dicunt myrtiformium, id quod et BARTHOLINVS, aliique Anatomici affirmant. Ast carunculae myrtiformes in virginibus intactis non reperiuntur, sed tantum in defloratis: quoniam sunt dilacerati hymenis reliquiae et vestigia; id quod, cum RIOLANO et MVNNICKIO, existimat Celeb. MORGAGNI, *aduers. anat.* I. Inter recentiores Anatomicos est ille Chirurgus Parisinus, PETRVS DIONYSIVS, qui in *Anatomia sua, sect. II. p. m.* 243. I. 2. 3. existentiam hymenis negat, imo et in *Chirurgia sua*, 1712. edita Germ. *p.* 273. Omnibus vero, qui hymenis existentiam negant, auctoritatem et ἀυτοψίαν oppono excellentissimorum seculi nostri Anatomicorum, e. g. RVYSCHII, *in Obseru. Anatom. Chirurg. n.* 22. 23. *et in catalog. rarior. pag.* 20.

REN-

REGNERI DE GRAFF, in tract. *de mulierum organis, generationi inseruientibus*, c. 5. SWAMMERDAMMI, in tract. *de vteri muliebris fabrica*. VERHEYNII, in *Anatomia*, p. 84. HEISTERI in *Anatomico Compendio*, p. 90. et 262. DRACKII in *Anthropol. nou. Tom. I. Lib. I. cap.* 21. *pag.* 151. *seqq.* Hi omnes vno ore hymenis exiſtentiam affirmant, figuris aeneis depingunt, atque in liquoribus adhuc balſamicis conſeruant et deſiderantibus oſtendunt. Inprimis autem iam laudatus Clariſſ. HEISTERVS in puella 14. annorum hancce pelliculam inuenit, atque in *Ephemerid. Nat. Curioſor. Cent. VII. anni* 1717. deſcribit, et Celeberrimus Patauinus anatomicus, IOH. BAPTISTA MORGAGNI, in *aduerſariis anatom.* *p.* 1. *p. m.* 39. edit. patau. fuſe de hymenis exiſtentia egit, et affirmat, a Celeb. Anatomico Bononienſi, VALSALVA, intra annum bis hoc organum deſideratiſſimum oſtenſum fuiſſe publice in Theatro anatom. Videri ſimul poſſunt ea, quae de hac controuerſia narrat Perill. de HALLER in *Acceſſ. ad* HERM. BOERHAVII *Meth. ſtud. Med.* p. 382. nec non quae HVBER affert *de Vaginae vteri ſtructura*.

Ex his adeo luculenter apparet, de hymenis exiſtentia non eſſe dubitandum. An vero ſemper inueniatur, ego quidem non aſſeram. Eiusmodi enim membrana abeſſe poteſt, ſalua virginitate mentali, et hoc quidem 1) ob conformationem partium irregularem, a primo natiuitatis puncto. 2) ob membranae huiusmodi tenuitatem, mollitiem, laxitatem, vt ideo neque a marito, neque ab Anatomico attendi valeat. 3) interdum caſu, aut libidine in laſciuis, aut ab acribus humoribus in tranſitu corroditur, vel caſu, ſaltu, ictu disrumpitur. v. ISBRAND. a DIEMERBROECK *in oper. anatom. pag.* 149. deſtruitur. Quod vero eiusmodi membrana ab Anatomicis nonnullis haud obſeruata ſit, illud ab incuria eorum, et inconuenienti adminiſtratione prouenit.

Recte autem nunc adhuc quaeritur: *An ex hymenis praesentia virginitas certissime possit probari?* Ad hanc quaestionem paucis ita respondemus. Praesentia hymenis non semper infallibilem illibatae virginitatis praebet certitudinem, prostant enim casus qui testantur, quod puellae hymene munitae tamen in vterum receperint. *Vid.* SCHVRIGII *spermatolog. cap.* 10. §. 19. Quodsi vero hymen naturalem suam habet constitutionem, id est eam, quam iam descripsimus, feminaque talis non habet duplicem vteri vaginam, quippe quae interdum reperitur, *vid.* EISENMANN. l. c., reliquae quoque partes, virginis integerrimae statum declarantes, simul correspondent, tunc vtique hymenis praesentia certissimum nobis virginitatis illibatae suppeditat criterium. Quemadmodum vero, vti nunc patet, praesentia hymenis non semper virginitatem praesentem cum certitudine declarat, ita etiam absentia hymenis non semper certum praebet virginitatis moralis amissae indicium. Plures enim sunt causae, signum hoc virginitatis physicum destruere valentes, vt v. g. infortunium, prolapsus vteri completus, equitatio frequentior ad modum virorum instituta. *Vid.* RÖDERER in *Elem. Art. Obstetric.* p. m. 51.

Secundum signum est *rugositas, arctitudo et humiditas vaginae*, quae ex eo se fundamento exserit, quoniam fibrae a mentula nunquam expansae fuerint. Sed et haec arctitudo variat, 1) ratione aetatis, 2) ratione temperamenti humidioris, siccioris et libidinosioris, 3) ratione conformationis, iuxta quam sic etiam hac inter se magnitudine et amplitudine differunt, iuxta tritum illud: noscitur ex labiis, quantum sit virginis antrum, 4) ratione fluxus menstrui antecedanei. 5) ratione morborum, v. g. quando fluore laborant albo, vel in statu cachectico et cacochymico constitutae, aut chlorosi afficiuntur. Vid. RANCHINVS, *de Morb. Virgin. c.* 5. ZACCHIAS, *L. IV. Tit.* 2. PINAEVS, de *Not. Virgin. c.* 5. 6.

Notan-

Notandum vero, hancce arctitudinem ad maris cuiusuis mentulam eadem ratione sese non habere. Mentularum enim crassities, forma et longitudo mirifice differt, luditque hic in specie natura. Vnde adeo videre est, hancce arctitudinem 1) non semper destrui euidenter vno alteroque congressu, 2) ad pristinum redire posse tonum, fibris nempe per diutinam a venere abstinentiam restitutis, imo, id natura non ferente, fieri hoc potest per remedia, quae vocant, adstringentia; de quibus ex instituto etiam agit laudatus RANCHINVS, vbi in corruptae virginitatis recuperatione alchimillam commendat, in balneo, et fotu ad mammas, item bellidem, etc. quo pertinent acida, aluminosa et vitriolica constringentia. Vnde adeo nonnulli auctores, signum hoc debile et insufficiens esse, existimarunt; v. g. CODRONCHIVS, *l. c.* RODERICVS a CASTRO, in *Medico politico, L. IV. c. XI.* PINAEVS, *l. c.* FORT. FIDELIS, *de Ration. Med. c. IV. L. II.* PARAEVS *de Renunciat. fol.* 651.

Tertium signum est *caruncularum myrtiformium magnitudo, color et connexio,* quod signum ZACCHIAS egregie commendat. Illae enim carunculae, iuxta hunc auctorem, in virginibus primo tument, et quasi inflatae sunt, in corruptis vero exiles et flaccescentes. 2) in virginibus rubent, in defloratis vero pallent, atque liuore corripiuntur. 3) in virginibus, intercedentibus vinculis, colligantur; in defloratis vero, seu corruptis, distractae et destructae conspiciuntur. Sed quoniam 1) eorum connexio et colligatio integra manere sub vno alteroque congressu potest, a minori inprimis mentula instituto; v. PINAEVS, *cap.* 5. 6. et 2) color atque magnitudo a morbis turbari et mutari potest: ideo signum hoc auctores omnes non admittunt.

Quartum, quod ex hactenus allatis fluit, signum *est dolorosa admissio*, in primo congressu frequentissima et solennis, quae a dilaceratione partim hymenis et vinculorum, carunculas myrtiformes connectentium, prouenit.

 Hinc

Hinc, quando quaeritur: an virgo dormiens inſcia corrumpi poſſit atque impraegnari? Reſpondendum, cum Facult. Med. Lipſienſi, in ZITTMANNI *Med. Forenſi*, *Centuria V. caſ.* 21. *et Centuria VI. caſ.* 77. credibile vix eſſe, virginem illibatam ſine ſenſu in ſomno viri ſuſtinere compreſſionem poſſe. *Nouell. M. L* VALENTINI, *Caſ. I.* Facultas quidem Iurid. Ienenſis poſſibilitatem rei affirmare haud dubitat, certis tamen conditionibus adiectis, nempe in virgine, quae 1) ad affectus ſoporoſos inclinat, 2) vel inſigniter delaſſata, 3) vel ex ebrietate in ſomnum profundum delapſa; quae conditiones quidem probe ſemper, ne iniuria cuiquam inferatur, ſunt examinandae.

Quintum ſignum eſt *ſanguinis profuſio*, ſeu cruentatio doloroſa in primo ſtatim congreſſu, a dilaceratione vaſorum hymenis proueniens. Nec temere profecto in ſacris ſancitum eſt literis, *Deuteronom. cap. XXII.* vt virginitas veſtimentorum pannorumque ſanguinolentia probetur. Hoc vero ſigno, tanquam certo, non apparente, lapidare eas ſacra lex iubebat, vtpote iam defloratas, ſeu corruptas.

Neque vero et hic deſunt contradicentes, qui et ſignum hoc non perpetuum, nec vniuerſale pronunciant, quoniam non in omnibus puellis obſeruetur, 1) quidem in illis, quarum genitalia laxa aliquo modo exiſtunt; 2) in iis, quae a ſalacitate pruriente affectae digitis, aut alio petulanti inſtrumento ſeſe ſaepius fricando anguſtias haſce perrumpunt; 3) ſi etiam obſervetur ſanguinis hoc profluuium in coitu, hoc tamen ſignum non plane infallibile ſuppeditat, femellae enim dantur, quae non in primo tantum, ſed ſecundo, tertio, imo ſexto coitu ſanguinem profundant, natura arcte nimis nempe ſe contrahente, aut imminentibus menſibus nuptias celebrant, vt taceam, quae fraudibus effuſionem ſanguinis ſimulant. Vtcunque tamen iſta ſe habent, ex Canoniſtis TORREBLANCA, *lib.* 2. *de delictis*, *cap.* 19. *num.* 3. *et* 4. et

FARI-

FARINACIVS, in *praxi Crimin. Qu.* 14. *num.* 148. cruentationem hanc pro ſigno praecipuo virginitatis agnouerunt. Et quoniam hoc ſignum in ſacris fundatum eſt literis, omnesque femellae ab Eua originem ducunt, non video, quomodo virgo Germ. ab Ebraica differre poſſit. De cruentatione vid. IO. BENED. SINIBALDVS, in *Geneanthropia*, *L. IV. tr.* 2. CASP. A REYES, in *campo Eliſaeo quaeſtion. curioſ. n.* 39. MELCH. SEBIZII, *de not. virgin.* LANGII *opera Med. part. phyſiolog.*

Sequentia ſigna reuera dubia eſſe poſſunt, et dici debent, quae deſumuntur v. g. 1) *ex naſo et quidem ex eiusdem apice et pinnis.* Sic nonnulli dicunt, quod cartilago, quae in apice naſi eſt, ſi ſecare ſeu diuidi ſe permiſerit atque perinde attactu findi digito poteſt, indicium ſit, virginitatem eſſe corruptam, et, ſi cartilago pinnulae eſſet indiuiſibilis, virginitatem adhuc eſſe praeſentem. Sed falſiſſimum hoc eſſe ſignum quilibet, qui primis tantum labris deguſtauit artem medicam, videt. 2) *ab vrina*, quae in virginibus tenuis eſſe debeat, et cum ſibilo excernitur, in defloratis vero craſſa et turbida. Nam vrinae color et ſubſtantia hic nihil certi ad probandum facit; quoniam ille mirifice, pro ſubiectorum varietate et ad morbos inclinatione, differt: ſibilus vrinae in defloratis et integris, iuxta F. FIDELEM et RANCHINVM, ll. cc. quoque nihil certi probat. Nam elater ſphincteris veſicae a coitu, qua tali, non deſtruitur, ſed tamen, quoniam hiatus, meatus vrinarii, cum hymene cohaeret, ſequitur, quod hoc dilacerato, ſuo modo quoque foramen meatus vrinarii amplietur, vt maiori impetu et ſtrepitu vrina tranſire valeat; modus autem virginitatem per mictionem probandi dudum iam non amplius in vſu fuit. 3) *ex mammis earumque papillis*, in virginibus nimirum mammae magis rotundae atque durae, papillae vero eſſent magis ruibcundiores et fragorum inſtar grato rubore florerent. Verum et

haec ſigna etiam omni veritate ſunt deſtituta. Nam rubedo roſea papillarum in mammis, item mammarum ſoliditas ab vno alteroue coitu laſciuisque atque voluptuoſis titillationibus tam manifeſte etiam defoedari non poteſt. Certum quidem, et rationibus anatomicis confirmatum eſt, quod detur vteri mammarumque commercium; ſed quomodo ex coitu, etiam aliquoties iterato, ſtatim color papillarum mutetur, nemo Anatomicorum et Phyſiologorum rationibus explicare poteſt ſufficientibus, vid. BEVEROICI *Quaeſt. Epiſt. p.* 32. Sunt etiam nonnulli, qui 4) *a vocis mutatione* argumentari ſtudent, quando nempe vox clara in grauiorem mutetur: ſed debile hoc quoque eſt argumentum. Tandem etiam quidam 5) *ex oculis* integram aut amiſſam virginitatem colligere volunt, quippe qui a praeuio coitu modo ſubſident, modo intumeſcunt, modo luneolam liuidam circa palpebras aſſumunt; ſed haec oculorum alteratio etiam, teſte experientia, citra caſtitatis violationem contingere poteſt. vid. MICH. ALBERTI *Iurisprud. Med. cap.* 3. §. 7.

Virginitatis itaque examen ſi inſtituendum ſit, ad ſequentia probe attendendum; 1) an inſpectio haec poſt congreſſum ſtatim, an vero aliquandiu poſt illum inſtituatur, vbi virgo a conſortio viri abſtinuerit. 2) an vna ſaltim vice, an multoties inſultus viri ſuſtinuerit. Quod ſi igitur puella, recens violata, et quae plures paſſa ſit congreſſus, conſpicienda, luſtranda et examinanda venit, haecce violatio facile patebit ex partium genitalium tumore, inflammatione, cruentatione nec non reliqua conſtitutione, quae alias in virginibus adeſſe debet integerrimis, mutata. Haec vero, vt ex ſupra dictis conſtat, ſigna quidem ſunt virginitatis violatae: non tamen ſemper et vbique applicanda; quemadmodum ex *caſu XX. Medico-Legal.* Cl. VALENTINI, *Part. I. Sect. I.* hoc ſatis liquet, vbi virgo 17. annorum ſtupratam ſe fatetur, et ſimul affirmat, in-

teita.

tentato ſtupro ſanguinis nonnihil per pudenda muliebria effluxiſſe. Cauſidicus, qui tuendam in ſe rei cauſam ſuſceperat, duas mouet quaeſtiones, 1) an ſanguinis profluuium legitimum ſit atque adaequatum ſignum ſtupri violenti? 2) an maſculus vnicus, ſine adiumento alterius interuenientis, virginem 17. annorum ſine voluntate et permiſſione eius violenter ſtuprare poſſit? *Facultas Medicorum Lipſienſis* ad primam quidem quaeſtionem reſpondet: ſanguinis profluuium per loca muliebria, in vel ſtatim poſt coitum in nonnullis, potiſſimum tamen in virginibus contingens, oriri quidem a cauſa violenta, ab impetuoſa nempe penis rigidi in loca anguſtiora intruſione, minime tamen pro ſtupri violenti, ſed pro laeſae potius virginitatis ſigno habendum eſſe. Ad ſecundam vero quaeſtionem ita comparata eorundem erat reſponſio, vt ex circumſtantiis, quae in actu coeundi ſolent concurrere, minus credibile eſſe, ſtatuerent, maſculum aliquem nubilem virginem (excepta impube, tenera, delicata, aut ebria ſimul puella, CARPZOV. *l.* 2. *Conſiſtor. d.* 238. AMMANN. *reſp. vlt.*) absque ipſius conſenſu, permiſſione ac voluntate vitiare, aut violento ſtuprare modo poſſe, dum feminae cuique facilius ſit, ſi velit, penis immiſſionem recuſare, aliisque multis modis impedire, quam viro, eidem inuitae plane intrudere.

Cruentatio, ſatis notabilis inflammatio, tumorque item et prorſus genitalium exulceratio a ſtupro, maxime impuberum, contingit, eoque violento; ſiquidem huiusmodi vel duo mihi nota ſunt exempla puellarum ſtupratarum, 5. circiter annorum; quarum in vna, ab intruſione violenta mentulae, non tantum ſequebantur inflammationes enormes, ſed exulcerationes etiam; in altera, praeter modo recenſita ſymptomata, pedum plane paralyſis, fere incurabilis, ſuperueniebat.

Si

Si vero ſeptimanae iam aliquot elapſae fuerint, dubia hinc illa erit luſtratio. Vbi ſcilicet iam tumor ſubſiderit, parteſque dilatatae denuo coaluerint. Maior adhuc difficultas erit, ſtuprum vnius tantum congreſſus cognoſcendi, cum mentula exigua perpetratum; ſiue illud recens, ſiue poſt elapſum temporis ſpatium commiſſum ſit, vbi rarius fortaſſis partium illarum laxitas et coloris mutatio, quam ZACCHIAS innuit, comparuerit, imo ipſum temporis ſpatium hoc vitium quodammodo emendare poſſe, incredibile non eſt.

4. Qu. *An, vbi de virginitate quaeritur, obſtetricibus ſolis inſpectio ventris ſit committenda, an vero Medici ad eiusmodi inueſtigationem praecipue ſint admittendi?*

Romani negotium ventrem inſpiciendi obſtetricibus committebant, iuxta *tit. ff. de ventre inſpiciendo*, item *Conſtitutio criminalis Caroli V. artic. V.* et, iuxta hunc, plures etiam ICti et LL. interpretes, vt CARPZOV. *Prax. Crim. Part. III. qu.* 112. *num.* 19. *ſeqq.* MATTH. STEPHANI, in *not. ad. d. artic.* 35. *l. c.* obſtetrices quoque, vel matronas requirunt prudentes et expertas. At hae vix idoneae ſunt, noſtrates inprimis. Nihil enim amplius ſciunt, quam puerum naſcentem gremio recipere, vmbilicum reſcindere, obligare, in balneo a ſordibus abſtergere, ac faſciis tandem inuoluere. Cum vero de ſtructura genitalium anatomica, earumque conſtitutione, vel naturali, vel praeternaturali, iudicium ferre debent, enormiter hallucinantur. Perita olim credita, et iam defuncta quaedam obſtetrix hic aliquot abhinc annis ſuſpectae virginis organa luſtrabat, atque coram magiſtratu oppidano illibatam illam atque integram pronunciabat; praeterlapſis autem aliquot deinceps menſibus in mu-

in museo studiosi patris pariebat. En ergo egregiam scientiam et experientiam obstetricum: de qua dubia obstetricum scientia plura legi possunt testimonia in Celeb. BOHNII *Officio Medici, p.* 560. *et seqq.* Medici proinde ad examen virginitatis primario sunt requirendi, vel soli, vel cum obstetricibus. Obstetricum enim iudicium fallax admodum ab ipsa *Rota Romana* in TAVRIN. *dissolut. matrim.* 1590. *coram Platta, num.* 10. pronunciatur, et ZACCH. *Q. M. L. lib. IV. Tit.* 2. *q.* 1. Praxis etiam ostendit hodierna, quod Medici primario ad examen virginitatis sint admittendi; id quod GEORG. BEYERVS, ICtus et P. P. Witteb. *delineat. Iuris Crimin. p.* 59. §. *XVII.* et confirmat, et cumprimis casus, ex ZITTMANNI *Medicina Forensi, p.* 747. *et* 797. desumtus, testatur, quem, vtpote notatu dignum, omnibus perlegendum commendo.

5. Qu. *Quomodo inspectio ventris in virginitate sit suscipienda?*

Personae deponentes, vt rite suo munere fungantur, quando de puellae alicuius virginitate agitur, affirmantis, integram adhuc se esse, atque incorruptae et illibatae prorsus virginitatis, ante omnia fraudes detegant oportet fictae, quae aquae frigidae applicatione, et adstringentium inprimis vsu facile alias promouetur. Vnde ante, quam inspectioni subiiciantur, genitalia puellae aqua tepida sunt abluenda; hinc non oculis tantum (Vid. HERTIVM. in *dissert. de inspectione oculari*) sed et manibus genitalium habitudo accuratius explicanda et examinanda (iubente sic PACIANO, *de Probation. Lib. II. c.* 2. *n.* 17. et ANGELLO ARETINO, 1. *Consil.* 142. *num.* 20.) Obstare quidem videtur *Tit. ff. de ventre inspiciendo, L.* 1. §. 10. vbi dicitur, inspicere saltim, non inuita vero muliere ventrem tangere, examinanti licitum est. Alia tamen probatio est impraegnationis suspectae, de qua L.

 loqui-

loquitur; alia virginitatis, quae non aſpectu tantum, ſed et tactu dignoſci debet, PACIANO obſeruante, *l. c.* adeoque lex minime huc quadrat: vt taceam, in delinquentis non eſſe arbitrio, tactum corporis recuſare, cum iudex omnibus ſenſibus veritatem inquirere teneatur; Vid. STRYK, *de iure ſenſuum*, *diſſert. I. cap.* 1.

Quodſi nunc talis inſpectio inſtituitur, probe attendendum eſt: 1.) an cunctae partes genitales externae ſint ſatis firmae? 2.) an clitoridis praeputium ſit minus glandem non obtegens? 3.) an numphae ſplendeſcant, dilute rubeſcant ſimulque ſint minores? 4) an orificium urethrae ſit maxime paruum, imo penitus fere clauſum? 5.) an hymenis praeſentia ſeiusque ſtatus integerrimus obſeruentur? 6.) an columnae rugarum vaginae vteri ſatis tumeſcant? quodſi enim haec dicta omnia inueniuntur, de virginitate illibata ſatis certi eſſe poſſumus.

6. Qu. *Quaenam ſigna ſint pueri ſtuprati?*

Stuprum non modo in puellas, virgines et viduas committitur, ſed a ſceleſtiſſimis hominibus, natura abutentibus, etiam in maſculos patratur; FARINAC. *de delictis carnis, Qu.* 148. quod delictum quidem, cum grauiſſimum ſit inter omnia, iure merito condignas poenas expoſcit, vt per legem *cum vir C. de adulter.* CLAR. *lib.* 5. *ſent.* §. *Sodomia, num.* 1. BOS. *in Prax. crim. tit. de ſtupro deteſtando in maſc.* D. D. SIMON, *cap.* 2. *de impotentia Coniug.* §. 1. 2. 3. 4. vbi prolixe de ſodomia agitur. In eius autem delicti examine vt de veritate iudices certiores fiant, per Medicos et Chirurgos ipſos pueros conſpiciendos curant. Stuprum in puello quinquenni a puella libidinoſa XIII. annorum, mentulam cunno intrudente, commiſſum. Vid. VALENTINI, in *Nouell. M. L. Caſ. IX. p.* 235.

Facta

Facta autem ani ſtupratione, qualis in Italia proh dolor! aliisque regionibus calidioribus ſolennis eſt, intertrigines ſequuntur, vel excoriationes ani, eiusque inflammationes et notabiles exulcerationes, fiſſurae Rhagadiae dictae, laxitas quoque et procidentia ani, item excreſcentiae, verrucoſae criſtae, ficus, mariſcae, de quibus Poëtae iam pridem cecinerunt, vt IVVENALIS, *Satyra* 2.

- - - Sed podice laeui
Caeduntur tumidae, medico ridente, mariſcae.

MARTIALIS, *Epigr. lib.* 1.

Dicemus *ficus*, quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficos, Caeciliane, tuos.

Hi morbi in Noſocomiis Incurabilium (a l'incurabile) variorum Italiae locorum in podicibus vtriusque ſexus ab ani ſtupratione orti annotantur, exſcinduntur, ferroque candente aduruntur; id quod et PETR. DIONYSIVS, in *Chirurgia ſua*, teſtatur. Vnde dubium non eſt, quin ſigna ſint eiusmodi congreſſus Sodomitici; quamuis non inficiandum, ab aliis etiam cauſis eiusmodi quid trahere originem poſſe. Vnde in dignoſcendis eiusmodi morbis maxima cautela vtendum.

7. Qu. *Quo tempore virgo ſit nubilis?*

Cum ſemen aliqua ferre poteſt. Non autem ferre hoc poteſt, antequam menſtrua patiatur. Haec enim ambo vno eodemque tempore euenire ſolent, quia tam ſemen, quam menſtruum, ad generationem deſtinauit natura, menſesque fluentes indicium praebent, 1) mulierem tanta ſanguinis copia abundare, vt et ſuo ipſius corpori alendo, et foetui nutriendo ſufficiat; 2) Ouula, ſeu ſemen ad debitam ſui perueniſſe maturitatem. Menſium vero fluxus, vt alibi iam diximus, communiſſime decimo quarto, vel quinto anno contingit, quo tempore virgo quoque nubilis euadit. At, quae,

iuxta PLATONIS confilium, *lib. 5. de Republ.* vigefimo, vel decimo octauo nubit onera coniugii maiori cum fecuritate et felicitate perferre poterit, ob vteri, imo totius corporis conformationem meliorem; et foetus quoque poftea excludit robuftiores. De coniugio inftituendo ita verba fecit HESIODVS: *oper. et dies*, v. 695.

Iunge tibi vxorem, dum firmus adhuc vigor adfit:
Annos cum numeras ter denos, plusue minusue,
Aptum eft coniugium; decimo fed femina quarto
Anno pubefcit, nubat mox deinde fequenti.

8. Qu. *Quo tempore nuptiae fint inftituendae?*

Praeterlapfis, poft fluxum menfium, quatuordecim diebus: Cum enim, BOHNIO inprimis et BERGERO obferuantibus, certum fit exploratumque, fluxum menfium primario fieri ex vagina vteri; Inde per fe patet, poft fluxum ftatim menfium vias paululum effe dilatatas, adeoque vt omnis fufpicio declinetur, expectandum, donec ad priftinam coarctationem partes reuertantur.

CAP. V.

DE IMPRAEGNATIONE OCCVLTA.

Duo inprimis cafus emergunt, vbi feminae impraegnationem diffitentur; 1) vbi vxor, poft diuortium, ex viro fe praegnantem negat, *L. I.* §. 4. *ff. de ventre infpic.* 2) cum meretrices de foetus abolitione et infanticidio cogitant. De fingulis igitur eiusmodi indiciis, quibus mediantibus femi-

nae

nae eiusmodi nefariae conuinci queant, Medicus rogatur interrogaturque.

1. Qu. *An praegnantiae ſigna dentur certa et infallibilia?*

Multi quidem ICti pariter ac Medici hac de re dubitant, an ſcilicet praegnantia cognoſci queat per ſigna quaedam certa, infallibilia et euidentia; vt HIPPOCRATES, *lib. de natura pueror.* fatetur; SYLVATICVS, *de iis, qui morbum ſimulant, cap.* 18. CODRONCHVS, *in Methodo teſtificandi. cap.* 12. FORT. FIDELIS, *de Renunciat. Medicis, lib. III. Sect.* 4. *c.* 1. ZACCHIAS, *l. c. L. I. Tit.* 3. BÖHNIVS, in *officio Medici, part.* 2. *c.* 6. idque ob hanc rationem: quoniam conceptionis ſigna, et ſigna menſium deficientium interdum ſunt eadem; v. g. inappetentia, nauſea, vomitus matutinus, ephelides faciei, lac in mammis, anxietates pectoris a cibo aut veſtitu arctiori, oculorum caligines, lipothymia, cordis palpitatio, morſus ventriculi, oculorum cauitas, palpebrarum extuberantia, dentium dolor etc. Verum enim vero, ſi rem paulo curatius conſideramus, aſſerendum omnino eſt, quod dentur ſigna praegnantiae certa atque infallibilia. Hoc tamen probe eſt notandum, quod ante tertium menſem grauiuiditatis certum ſignum non facile detur, omnia enim iſta ſigna, quae alii deſumunt a deſcenſu orificii vterini, ventris complanatione, menſtruorum ſuppreſſione etc. tantum ſunt criteria probabilitate quadam gaudentia.

2. Qu. *Quaenam ſigna ſunt impraegnantiae?*

Inter ſigna illa, a Medicis et ICtis inprimis, v. c. CAGNOLO, in *L. ſi quis praegnantem, ff. de reg. Iur. Tom.* 3. allegata, primum locum occupat *intumeſcentia ventris*, (nam congreſſum praeuium ſuppono, ſine quo nemo impraegnatur)

de qua tamen nonnulli dubitant, qui ex hydrope, tympanitide, ſcirrho hepatis et lienis, meſenterii ac vteri pariter euenire poteſt. Vid. HIPPOCR. *de morbis Mulier. Lib. II. textu* 4. MASCARD. *Concl.* 1147. *num.* 16. *Vol.* 3. Ventris tamen eiusmodi tumores, qui a morbo producuntur, facile ab eis, qui impraegnationem teſtantur, dignoſci poſſunt. Nam 1) tumor, qui ab impraegnatione enaſcitur, fit ſucceſſiue, vbi venter, inprimis circa vmbilicum, in regione hypogaſtrica, in dies augetur atque increſcit, absque manifeſta feminae alteratione, ſeu ſanitatis actionumque vitalium mutatione et turbatione: in morbis vero ſine ordine eiusmodi intumeſcentia obſeruatur, cum variis ſanitatis iniuriis coniuncta. 2) In grauidis tumor obſeruatur neque durus, neque inaequalis, vt hoc fieri ſolet v. g. in ſcirrhis. 3) Nec tumor eiusmodi mollis nimis eſt, cum ſono et fluctuatione coniunctus, vti v. c. in hydrope et tympanitide, vbi etiam alia ſimul ſymptomata ſunt coniuncta. 4) Si tumor eiusmodi a menſium obſtructione praeternaturali, ſeu morboſa enaſcitur, facies ſimul pallet, tumetque aliquo modo, imo alia ſymptomata ſunt coniuncta, vt laſſitudines, pedumque oedemata. 5) Si a mola, circa pubem magis, vterus increſcit. 6) tumor abdominis, ſi eſt a grauiditate, ab imo ad ſummum adſcendit, circa vmbilicum magis eſt acuminatus, moleſtae grauitatis ſenſum non cauſatur, aliisque impraegnationis ſignis reſpondet. Imo ex abdominis tumore ſimul cognoſcere quoque poſſumus grauiditatis terminum, nimirum, vti experientia teſtatur ſexto grauiditatis menſe tumor inter oſſa pubis et vmbilicum obſeruatur, ſeptimo vsque ad vmbilicum ſeſe extendit, octauo inter vmbilicum atque ſcorbiculum cordis obſeruatur, nono vsque ad ſcrobiculum ſeſe extendit.

Secundum ſignum, a CAGNOLO et MASCARDO, *l. c. c.* 1208. *num.* 10. *vol.* 3. allegatum, *eſt lac in mammis*, ipſarum intumeſcentia. Imo pertinent et huc aliae mutationes, quas

quas mammae propter grauiditatem praesentem patiuntur, nimirum venae ipsarum magis conspicuae redduntur, atque simul colorem caeruleum exhibent, papillae magis crassescunt, colorem magis obscurum habent, quo et simul gaudet discus ambiens, qui et latitudinem maiorem assumit, paruisque eminentiis saepe tegitur. Quodsi ergo in mammis lac reperitur, hoc pro signo grauidationis a compluribus habetur. Vid. MENOCH. *de praesumt. lib.* I. *qu.* I. et BALD. *in rub. C. de probation.* BOCER. et ZANGER, *de Inq. et Tort.* cum quibus consentit *Constitut. criminalis Car. V. art.* 35. *et* 36. Sed de hac quoque nonnulli dubitant, cum aliis etiam ex caussis ducere haec possit originem, v. g. iuxta HIPPOCRATEM, *Sect. V. Aphor.* 39. a mensium defectu et suppressione; item, iuxta illum, *lib.* 2. *de morbis mul. textu* 59. tale quid contingere ab vteri hydrope potest. *Imo virginum castarum* obseruationes prostant, quarum mammae lacte turgescebant. Vid. RODER. A CASTRO, *lib. de natur. mulierum*, *lib. IV. c.* 10. IVBERTVS, *de erroribus populorum*, *lib. V. c.* 3. DEVSINGIVS, *de lacte*; RANCHINVS, *de morb. virg. sect.* I. *cap.* 16. TH. BARTHOLINVS, in *Cista Med. p.* 254. HAGEDORN, *anno* 3. *Ephem. Germ. Cur. obseruat.* 136. et LAVRENTIVS, in *Anatomia, lib. IV. qu.* 2. Vid. FRANCK DE FRANCKENAV in *satyr. med. satyr. XV*, §. 25. MORGAGNI in *Aduers. Anat. V*, *animadu. I*, *in duabus integerrimo vtero atque hymene virginibus veri albissimique lactis in earum altera multum, in altera vero guttas tantum in mammis se vidisse perhibet.* Vt taceam, maribus aliquando lactis prouentum contigisse; quale exemplum in iuuene studioso mihi compertum est. Vid. etiam SCHENCK. *obs. de lacte.* Sed res summe suspecta est, consentientibus inprimis signis reliquis: colostrum enim in mammis ordinarie ante partum, lac vero genuinum post partum ordinarie obseruatur. Interim tamen notandum, turgescentiam mammarum a colostro vltimis tantum gestationis mensibus; mammarum vero increscentiam, absque lacte licet

et

et coloſtro, primis quoque menſibus eſſe conſpiciendam, ob vteri et mammarum conſenſum, a Deo ita conſtitutum. Vaſa enim hypogaſtrica vteri cum mammariis ideo habent commercium, vt aequalis in vtrisque fieri poſſit dilatatio et mammaria vaſa durante geſtatione praeparentur inſimul ad lactis elaborationem atque ſecretionem.

Tertium, ſecundum HIPPOCRAT. *Sect. V. Aphor.* 61. ſignum eſt *menſium emanſio.* Sed et hoc a nonnullis in dubium vocatur, nec id quidem ſine cauſa. Non omnes enim, quibus menſes non fluunt, ſemper ſunt grauidae: obſtructio enim etiam ab alia cauſa prouenit; vt toto quoque die praxis docet et experientia confirmat, feminas interdum grauidas per integrum geſtationis tempus tributum lunare perſoluere valere, ſalua ſanitate, et foetus vita. Vid. inter alia Celeb. SLEVOGTII, noſtri, *diſſert. de menſibus grauidarum;* et LOTICH. *l.* 5. *obſ.* SCHENCK. *l.* 1. *obſ. de grauidis.* Interim tamen non negandum, feminam, virginemque, fluxu menſium deſtitutam, reuera ſuſpectam eſſe, iuxta HIPPOCR. *ll. cc.* inprimis, vbi ſana ceteroquin eſt, beneque valet, nullis adfectibus morboſis torquetur, et neque horror, neque febris, neque laſſitudo, neque pallor faciei ſuperueniunt, neque reſpiratio difficilis exiſtit.

Quartum ſignum *Ephelides* conſtituunt, ſiue maculae faciei, iuxta HIPPOCRATEM, *de ſterilitate, textu* 6. Sed hoc ſignum fallax admodum eſt: quoniam grauidae quam plurimae his maculis deſtituuntur; imo ipſe HIPPOCR. *l. c. t.* 7. his abſentibus, feminam geſtare poſſe affirmat.

Sed nec quinto certi quidquam iudicare poſſumus de *faſtidio ciborum, rerumque inſuetarum appetitu,* qui alias Pica dicitur. Nam 1) eiusmodi ſymptoma grauidis non omnibus ineſt. 2) Primis vtplurimum menſibus obſeruatur. 3) Hoc contingere etiam ſolet ſuppreſſione menſium laborantibus.

Sed

Sed conſentientibus ſignis reliquis hoc quoque locum inuenire poteſt, et debet.

Pertinet huc ſexto et *vomitus matutinus*, qui quidem in grauidis plerumque ſolennis eſt. At, quoniam hic in aliis quoque obſeruatur, quae vitio quodam ventriculi laborant, ideo quoque ad minus tuta referri debet ſigna. Vid. Exc. CAMERARII, *de vomitu grauidarum*; it. Ill. WEDELII, diſſertat. *de notis grauidarum*, in qua omnia ſignorum genera vberrime pertractantur.

Septimo *motus foetus*, quem grauidae circa quintum vt plurimum menſem ſentiunt, ſignum eſt, inprimis adnotandum. Et quamuis ſint Medici, qui docent, a ventoſitate, vel mola prouenire hoc poſſe, vt v. g. FORESTVS, in *obſeruat.* Medicus tamen dogmaticus et eruditus facile motum foetus a flatibus diſtinguere poteſt; molam enim ad inſtar foetus mouere ſe neutiquam poſſe, exinde patet, quod maſſa informis eſt, minusque vitalis et mobilis. Certiſſime motus foetus tactu poteſt determinari. Quomodo vero hic ſit inſtituendus hoc docet RÖDERER *in Elem. Art. Obſtetr.* §. 143. p. m. 64.

Interim, cum Medico iudicandum ſit hac ratione non de feminis honeſtis, ſed de iis, quae vtero ſe concepiſſe et geſtare audacter negant; ideo eiusmodi examen a Medico cum prudentia ſuſcipiendum, ne fallatur.

Octauo ſignum grauiditatis praeſentiam indicans maxime notabile eſt *mutatio orificii vterini*; tertio enim a conceptione menſe in vaginam magis deſcendit, et hoc menſe elapſo iterum ſenſim ſuperiora petit, circa quartum a conceptione menſem fit craſſius atque mollius, ſpongioſum et verſus ſextum menſem eousque diduci incipit, vt cum communi vteri cauitate eius tubus confundatur, ex qua mutatione etiam breuius fit hoc orificium, labia eius ad aperturam

 exte-

exteriorem diducuntur, et figura conica vel cylindrica deletur. Vltimis tandem septimanis et versus interiorem aperturam labia dehiscunt, vt rimae loco nunc integer tubus appareat. Vid. RÖDERER *l. c. cap.* 3. Patet hinc simul, quod falsum sit istud signum, quod affert HIPPOCRATES, quando *Sect. V. Aphor.* 51. *quae*, inquit, *ventrem ferunt, iis os vteri conniuet.*

Dantur et allegantur et alia signorum genera, ex vrina, sanguine per scarificationem et venaesectionem emisso desumenda etc. Huc et pertinet experimentum illud, ab HIPPOCRATE allegatum, vbi nempe aquam mulsam mixturamue mellis cum vino, vel aqua, eiusmodi personae suspectae propinare iubet.

De vrina praegnantis notandum, quod Medici in eius descriptione admodum sint dissentientes. Alii enim claram illam, alii subcitrinam cum nubecula albicante, alii crassam eandem ac turbidam, ac cum sedimento farinaceo mixtam, describunt, quod postremum praxi confirmatur. Cumque vrinae eiusmodi ab aliis etiam corporis mutationibus euenire possint, teste ipsius rei experientia: vrinae propterea inspectionem in hoc casu merito, cum SENNERTO, *Instit. Med. L. III. Sect.* 3. *part. I. c.* 5. *et Praxi L. IV.* fallacem pronunciamus. FORT. FIDELIS, *l. c. c.* 5. de *Relat. Med.* hanc quidem suadet inspectionem, sed ex hac tantum ratione, quia vulgo creditur, haberi signum aliquod posse ex vrina impraegnationis occultae. Hinc si persona suspecta inspiciendam Medico tradere recusat, suspicionem auget.

Aquam mulsam propinare idem iubet HIPPOCRATES, *Sect. V. aphor.* 41. vbi ab hac mixtura tormina excitari affirmat. Aliud experimentum idem suppeditat HIPPOCRATES, ibidem, *Aphorismo.* 59. et AVICENNA, vt nimirum aromatibus mulier suffumigetur, corpore probe tecto, vbi si odorem naribus et ore percipiat, vacuam illam esse asserunt. Verum

1) pe-

1) periculosa eiusmodi sunt experimenta, quoniam vel feminas, vel foetum laedunt. 2) in assuetis aqua mulsa, aliaque dulcia non excitant tormina. 3) eiusmodi symptomata in illis etiam subiectis excitantur, qui mensium obstructione vel vitiato et cruditatibus repleto ventriculo laborant. 4) nulla horum dari potest experimentorum, item et aliorum, in ZACCHIA, *Q. M. LL. lib. I. Tit. III. et IV.* citatorum, vera ratio, vnde ab illis nec non a reliquis, quae passim ab Autoribus allegantur, vid. ALBERTI *Syst. Iurisp. Med.* §. 16. 17. minus licet concludere.

Ex his igitur, quae modo diximus, luculenter satis meo quidem apparet iudicio, 1) praegnantiam primis gestationis mensibus vix, vltimis vero certissime cognosci posse 2) certissima praegnantiae signa esse desumenda ab vteri incremento nec non orificii vterini mutatione, et hinc 3) per solam ventris inspectionem grauiditatis praesentiam posse determinari certissime. Versari vero debet haec inspectio potissimum circa tumorem abdominis, constitutionem orificii vterini, nec non mammarum statum.

CAP. VI.

DE

IMPRAEGNATIONE AFFECTATA ET SIMVLATA.

Feminae diuersis ex causis vtero se gerere nonnunquam fingunt, 1) vt, supposito postmodum infante, partum mentiantur. 2) vt sterilitatem dissimulent. 3) quandoque hoc fit spe successionis, inprimis quando maritus subito apoplexia, vel alio acutissimo morbo mortuus est. 4) cum ad hereditatem proximi admitti cupiunt. Nam si praegnans de-

 prehen-

prehenditur, hereditas ad ipſum vterum pertinet. *L.* 30. *ff.* cum quidam, §. 3. de *acquir. heredit.* CAGNOLVS, *in L. ſi quis praegnantem ff. de reg. Iuris.* aut alia ex cauſſa id fit; v. g. vt 5) tormenta et poenas corporis adflictiuas, vltimum inprimis ſupplicium, ſubterfugiant. vel 6) vt, poſt diuortium, ſe ex marito praegnantem adfirmet. *L. I.* §. 4. de *ventr. inſpic. L.* 1. §. 12. *de agnoſcendis et alendis liberis. L. cum quidam cit. L. praegnantis ff. de poenis.* MENOCH. de *Arbitr. Iudicis, L.* 1. *qu.* 86. *n.* 10. *ſequ.*

Cum itaque delictum hoc a ICtis falſi criminibus annumeretur, et capitale dicatur; imo cum praeſumtionibus ſolis fidendum non ſit: Medicorum idcirco iudicia in auxilium vocant. Argumenta vero atque ſigna in hoc negotio ſunt ſequentia.

I. Qu. *Quaenam ſigna potiſſimum ſint, quibus dignoſci impraegnatio poſſit affectata?*

1.) Aetas incongrua, ratione cuius mares intra 14. et vltra 60. annos vix generant, cum femellae ante 12. et poſt 50. vix concipiant, inprimis ſi coniugium antecedaneum non adeo foecundum fuerit. Vid. ex ICtis ALPH. DE CARANZA, de *partu c.* 5. *ſect.* 2. *n.* 60. FARINACIVM, de *falſis et ſimulatione, qu.* 151. ZACCH. *lib. III. Tit. II. qu.* 8.

2.) Antecedanea ſterilitas vtriusque vel alterutrius coniugis. Arg. eorum, quae habet GAIL. *lib.* 2. *c.* 97. *n.* 16. MASCARD. de *Probat. concl.* 1147.

3.) Huc ſpectat impotentia generandi et concipiendi notoria ob vitia organorum.

4.) In femina defectus menſium praeternaturalis, et quidem in aetate congrua. Vnde rarius conceptio in ſtatu hoc contingit, quo ſuo etiam modo fluor albus pertinet.

5.) Per-

5.) Pertinet huc ipsa ventris inspectio et contactus, ad motum foetus explorandum. MASCARDVS, de *Probat. vol.* 3. *Concl.* 1147. *Tit. ff. de ventre inspic.*

6.) Dantur nonnulli, v. g. ALPH. DE CARANZA, qui a non superuenientia lactis praesumtionem praegnantiae fictae petunt: cuiusmodi signum tamen cautius paulo est adplicandum. Nam verum est, vtplurimum transacto tertio, vel quarto gestationis mense mammae a colostro turgescere incipiunt: At lactis ille prouentus ab alia caussa, vel naturali, vel praeternaturali, vt alias diximus, originem ducere potest. Sic virgo illa apud PHILIPPVM SALMVTH *Obs. Cent.* I. *Obs.* 92. lac inscia ac non aduertens sibi comparauit, postquam cum infantulo in eodem lecto dormire solita, illum ad vbera identidem admouere consueuit, ex quo assiduo suctu lac aggregari coepit, vt infantem deinde lactare posset. Imo: dantur exempla, vbi, existente licet impraegnatione, mammae tamen non turgent, v. g. in subiectis siccioribus, quae humido non abundant. Interim tamen, cum in eiusmodi subiecto, ceteroquin sano, et quod praegnantiam adfectat, signum hoc non apparet, dubitare quodammodo licet, tutiusque est, expectare illa phaenomena, quae circa medium gestationis tempus adparent, quale v. c. ipse motus foetus.

De inspectione ventris hoc amplius monendum, illam alias institutam fuisse certis solennitatibus, vt ex *ff. l. c.* adparet. Sed praxis hodierna ceremonias hasce sustulit. In praesenti nempe instituitur ab obstetricibus, vel solis, vel Medicis associatis, atque ad actum hunc iuramento confirmatis.

Vbi tamen subiectum plane denudandum, ne sub vestimentis ventrem fingant tumidum, quo facto videndum, tangendumque simul, an signis reliquis consentientibus intumescentia ventris, qualis esse in grauidis solet, appareat; cumque denudationem renuit, suspicionem simul auget, atque a Magistratu deinceps est adstringenda.

In ſtatu vero ambiguo, quando ventris inſpectio ſuſcipitur, primis nempe menſibus, vbi foetus motus nondum apparet, applicandum illud conſilium, et reſponſum Facult. Med. Lipſ. quod in VALENTINI *ff. Medico-Legalib. part. I. Sect. I. c.* 17. habetur, vbi ſuadet, inquiſitam tamdiu in cuſtodia tenere, dum motus foetus in vtero appareat: hoc autem fieri debet in fundamentali et rationali praeſumtione conſentientibus reliquis nonnullis ſignis, collectiue ſumtis, ne fama ſubiecti eiusmodi periclitetur. Conf. ſimul Diſſ. b. ABR. VATERI *de ingrauidatione diſſimulata ac diſſimulandi mediis. Wittenb.* 1724.

CAP. VII.

DE PARTV SVPPOSITO, NATORVM ITEM SIMILITVDINE ET DISSIMILITVDINE.

Iisdem plane de cauſis, quibus praegnantia fingitur, partus ſupponitur, quod ab ICtis ad crimen falſi refertur. D. PETR. MVLLERVS, diſſ. *de iure praegnant. Cap.* 7. §. 3. *et* 6.

I. Qu. *Quibus ſignis partus dignoſcatur ſuppoſitus?*

Partum ſuppoſitum dignoſcere, adeoque filiationem probare ipſi ICti pro re habent ſi non plane impoſſibili, admodum tamen difficili; conſentiente *L. quia ſemper ff. de in ius vocand. l.* 38. *ff. de condit. et demonſtr.* quam difficultatem cognouiſſe etiam antiquiores, vel Telemachi teſtari poteſt dictum, apud HOMERVM, Odyſſ. I. dicentis:

Mater quidem me dicit huius eſſe, ſed ego
Neſcio, nondum enim aliquis ſuum genitorem nouit.

Inte-

Interim a MASCARDO et FARINACIO vt ſignum primarium commendatur partus ſuppoſiti, vel ficti cum patre diſſimilitudo; quod argumentum quidem notatu dignum eſt, non tamen plane infallibile. Nam ſimilitudo quidem filiationem probat veriſimiliter, ſed diſſimilitudo filiationem plane non negat. Optime partus dignoſci poteſt ſuppoſitus ex abſentia veſtigiorum puerperii, ſi nimirum recens ille partus praetextus eſt; diſparent enim haec ſigna poſt alicuius temporis decurſum, quare v. g. poſt aliquot ſeptimanarum effluxum aſſerti falſitas ex aliqua corporis conditione euinci ſatis nequit. Sunt vero potiora partus iam editi ſigna ſequentia: *lochiorum fluxus, genitalium tumor ac diſtentio, lactis praeſentia, ventris flacciditas atque rugoſitas etc.* vid. Quaeſt. 2. cap. X.

2. Qu. *Quid ſit cauſa ſimilitudinis natorum?*

De cauſa ſimilitudinis natorum variae autorum proſtant opiniones atque ſententiae, quarum prima eſt HIPPOCR. *lib. de genitura, item de diaeta*, ſtatuentis, non ſexum tantum, ſed et ipſam natorum ſimilitudinem multitudine ſeminis exſuperantis fere prouenire: Sed, cum vnica ſeminis virilis guttula ſufficiens ſit ad integrum impraegnationis opus abſoluendum; ideo non in quantitate ſeminis haec vis determinans deliteſcit, ſed in qualitate potius, inprimis elaſticitate, qua partes et ſtamina foetus, in ouulo exiſtentia, ſimiliter extenduntur, adeoque ad formae ſuae perfectionem perducuntur.

Secunda eſt GALENI, *lib. 2. de ſemine, cap. 2.* arbitrantis, vbi maior vis ſeminis ſit maſculini, foetum naſci patri ſimilem, et contra. Sed dubia et haec eſt ſententia, cum ita nullo modo poſſet contingere, vt natus alii perſonae, quam vni parentum, aſſimilaretur; quod tamen ipſa experientia vt falſum, refellitur. Interdum enim natus avo ſimilis deprehenditur, auunculo quandoque, aut patruo, etc. im-

mo

mo ignotae nonnunquam perſonae: Vid. VOIGTS *Phyſicaliſchen Zeitvertreiber*, *Cent. I. Qu.* 18. HARSDORFERS *Schau-Platz, hiſtor.* 98. REIES, in *campo Elyſ. Quaeſtion iucundarum* 54. *p.* 670. Vnde credibile potius ac concludendum videtur, ſimilitudinem et diſſimilitudinem ex matris imaginatione, phantaſia, aut impreſſione praecipue dependere ac proficiſci, quibus et ſiderum influxus, ſoli et poli conſtitutio addenda, iuxta tritum illud: Sol et homo hominem progenerat, quibus cum vtriusque etiam parentis diſpoſitio conſpirat. Caeterum omni tempore grauiditatis agere poteſt imaginatio, nunquam quieſcens: primario vero tempore conceptionis, vel proximis ab illa diebus, antequam partium ſtamina a ſeminis virilis vi et efficacia fortius iam ſunt explicata, agit quam efficaciſſime. Ita etiam D. D. A GVLDENKLEE, ad quaeſtionem: an partus, patri diſſimilis, alii vero ſimilis, imo ſimillimus, pro adulterino habendus ſit? reſpondit. Vid. VALENTINI *ff. M. L. P. I. Sect. I. Caſ.* 38.

3. Qu. *An imaginatio potentiam ſeminis, effigiemque conceptus mutare valeat?*

Vtique. Hoc enim variis probari argumentis poteſt. V. g. 1) in poſthumis maior ſemper ſimilitudo obſeruatur, quam in aliis liberis, ob continuo ante oculos verſantem patris defuncti ideam. 2) Naeui etiam materni, *Mutter-Maehler*, ab impreſſione ideali, vel obiecto quodam terrifico pendentes, id ipſum probant. 3) Imaginationis vis, etiam in brutis, probari poteſt ex ouibus IACOBI in ſacris. 4) Mira et fere incredibilis imaginationis grauidarum potentia elucet ex hiſtoria quadam, ab Illuſtri quondam, nunc beato WEDELIO, in *pathologia dogmatica*, *Sect. II. c.* 9. notata, vbi mater a viſa decollatione paullo poſt partum edidit capite truncatum. De grauidarum imaginatione plura legi poſſunt in CASP. A REIES *Campo Elyſaeo iucundar. quaeſtion. qu.* 54.

Simi-

Similitudo magis intrinſeca, morum nempe, quam extrinſeca, v. g. faciei, capillorum, oculorum hic attendenda: quae tamen non in recens natis, ſed adultioribus demum conſpicitur, iuxta notum illud: ſimile generatur a ſimili; et HORATIVM, *lib.* 4. *oda* 4. fortes creantur fortibus ac bonis.

CAP. VIII.

DE TEMPORE ANIMATIONIS FOETVS.

Qui conceptum, per abortum, data opera interimunt, iure merito a legibus puniuntur, vt in *L. Diuus ff. de raris et extraord. criminibus, et L. Cicero ff. de poenis, L. ſi mulier ff. ad L Cornel. de ſicar. L. ſi quis necandi. C. de Sicar. et Conſt. Crim. C. art.* 133. Apud ICtos vero cum de crimine abortus ſermo eſt, quaeſtio oritur de tempore animationis foetus. Recepta enim in iure diuiſio eſt inter foetum animatum et non animatum.

1. Qu. *Quid foetus dicitur animatus?*

Foetus animatus apud ICtos dicitur, cum motus eius in vtero percipitur; id quod fieri ſolet circa medium geſtationis tempus. Vid. D. LVDOVICI. in *not. ad Caroli V. Conſtit. Crimin. art.* 133. ICti enim hanc rem magis aeſtimare ſolent ex tempore operationum vitalium. MENOCH. 2. *de arbitrio Iudicis, Caſ.* 357. FARINACIVS, 5. *Criminal. qu.* 122. WESENBECIVS, *in par. ff. ad L. Corn. de ſicar. n.* 7. CARANZA, *de partu nat. et legit. c.* 16. §. *pecul. de abortu procurato et eius poenis, p.* 606. HARPRECHT et LVDWELL, apud DIETHER. ad BESOLD. *Theſ. pract.* Cum itaque abortus promouetur inanimatus, poena arbitraria, vel extraordinaria dictatur: foetus vero animatus cum expellitur per medica-

G menta,

menta, abortum promouentia, poena capitalis est, vt in praesenti hoc obseruatur, ad *Normam Iur. Sax.* vt ex CARPZOVII *Iure Crim. P.* 1. *q.* 11. *n.* 12. elucet. Sic et *Gloss. in cit. L. diuus ff. de extraordinariis criminibus*, quam plures etiam DD. sequuntur. FARINACIVS, *de Homicidio, qu.* 122. *num.* 131.

2. Qu. *An distinctio inter foetum animatum et non animatum sit admittenda?*

D. D. quidem, et ipsa C. C. C. V. Art. 133. illam admittunt, vt ex antecedentibus apparuit. Illa enim disertis verbis inquit: *So aber ein Kind, das noch nicht lebendig waere, von einem Weibes-Bilde getrieben würde*, etc. sed Medice et Physice illa distinctio nullius est momenti. Vid. Ill. CAR. FRID. KALTSCHMIDII, Diss. *de distinctione inter foetum animatum et non animatum ex medicina forensi eliminanda.* Ien. 1747. GEORG. AVG. LANGGVTH. *Diss. de foetu ab ipsa conceptione animato*, *Wittenb.* 1747. MICH. ALBERTI *Diss. de termino animationis foetus humani. Hal.* 1724. Animam enim in semine esse, praeclare demonstrauit NYSSEN, *de opific. hominis*, *cap.* 28. *et* 29. Eum plerique hodie sequuntur, imo omnes, qui animas per traducem propagari statuunt, ex quorum sententia anima illico adest, simul atque conceptio facta est. Vid. LVDOVIC. in *not. cit.* Vtrobique ergo homicidium committitur, siue embryonem quis interfecerit, siue foetum, hominis figuram iam habentem, ideoque poena vtrobique est decernenda. Sed ICti, eandem vtrobique poenam decernendam necesse non esse, arbitrantur, cum grauius peccare videatur, qui hominem iam formatum et vbique perfectum, *ein lebendig gliedmaessig Kind*, vt C. C. C. V. loquitur, occidit, quam qui formandum enecat. Vid. *Const.* 4. *part.* 4. *Iuris. Elect. Saxon.*

3. Qu.

3. Qu. *Quid ansam dederit distinguendi inter foetum animatum et inanimatum?*

Haec distinctio inter foetum animatum et inanimatum originem duxit ex imperitia Physicorum et Medicorum, ac incertitudine hypothesium de generatione humana, et animae inprimis cum corpore coniunctione: Sic ICti, a Medicis et Physicis seducti, in hunc vsque diem distinctionem hancce retinuerunt. Interim vero licitum erit, magis sobrie philosophari, sententiasque ridiculas modeste examinare. ARISTOTELES, *II. de anima, Cap. I. tex. 6.* animam vocat ἐντελέχειαν. Quid illud sit, ignorarunt Philosophi, et ipse fortassis ARISTOTELES ignorauit. HERMOLAVS BARBARVS ita vertit, vt sit rectihabia, vel perfectihabia, cui consentiunt SENNERTVS, *Phys. l.* I. *cap.* 8. CASP. POSNERVS (qui duas quidem amplas, re ipsa vero parum, minusue vtilitatis habentes, quam quae omnium desideriis satisfaciant, dissertationes conscripsit, alteram de *animae cum corpore coniunctione*, alteram de *ordine partium in generatione humana*) et SPERLINGIVS, *Instit. Phys.* MAGIRVS, *Phys. l. 6. c.* 2. animam per formam definit, quae quidem rectius sese habet. Reuera enim est forma hominis. RENAT. des CARTES, *lib. de affectibus*, alibique, cogitantem illam vocat substantiam, id quod claram omnibus perspicuamque animae ideam suppeditat. Alii substantiam illam immaterialem atque immortalem vocant, naturae coelestis imperceptibilis, vel igneae, vt ISAAC VOSSIVS, in *appendice de natura lucis*; adeoque haud obscure materialem eandem pronunciare contendit.

De loco animae, diuersae itidem et discrepantes doctorum sunt sententiae. Vid. HOBOKENIVM et WINSLOVIVM, *de sede animae*. HIPPOCRATES et HEROPHILVS in cerebri ventriculis animam collocant; DEMOCRITVS in toto corpore; ERASISTRATVS circa membranam epicranidem;

STRABO in superciliorum interstitio; EPICVRVS in toto pectore; DIOGENES in cordis arteriato ventriculo; STOICI, cum CHRYSIPPO, in toto corde, ac spiritu, circa cor versante; EMPEDOCLES in sanguine. GALENVS in quauis corporis particula suam esse animam putat. HELMONTIVS animam in ventriculi pyloro; CARTESIVS autem in glandula pineali illam quaerit, cum tamen saepe in hominibus eadem vel aqua repleta, vel in calculum mutata, vel vlcere consumta, post mortem, fuerit deprehensa. Illustris et Celeb. Romanus Medicus et Pontificis Archiater atque Cubicularis LANCISIVS illam in septo pellucido existere demonstrat, in Epistola ad Celeb. FANTONIVM scripta, quae exstat in Cl. MANGETTI *Theat. anat. Lib.* 4. *C.* 2. *p.* 321. Maxime probabilis nobis videtur opinio illorum, qui affirmant, sedem animae esse istam encephali partem, quae est commune neruorum principium, seu illa cerebri pars, vnde omnes nerui, sensibus et motibus voluntariis seruientes, suam ducunt originem, et quae hodie a Medicis solet vocari sensorium commune.

De animae cum corpore coniunctione differentes etiam doctorum virorum extant sententiae. V. g. HIPPOCRATES primus fuit, qui, in libro de *natura puerorum*, textu 10. et 11. alibique, statuit, in masculis 30. in puellis 40. aut 42. die animae fieri accessionem et cum corpore coniunctionem, cui assentit GALENVS, *L.* 15. *de vsu partium*, *c.* 5. imo FIENVS, *de Formatione foetus*, *quaest.* 10. *concl.* 11. MERCVRIALIS autem, *de Morbis mulierum, lib. I. c.* 2. septimo coniunctionem hancce die fieri, contendit, quia homo septem dierum spatio perficiatur. Sunt et alii ex ICtorum ordine, imo ipse ZACCH. *L.* 1. *Tit.* 11. *qu.* 9. *th.* 24. qui ante 60. dies animatum foetum non pronunciant, et quidem ex debili hac et infirma admodum ratione, quoniam constare non possit, an masculus quis sit, nec ne?

Funda-

Fundamenta harum opinionum ſunt varia. 1) Credebant olim, certum quendam ordinem productionis partium in generatione ſtatuentes, primo hepar fieri, deinde cor, ſpinam dorſi porro, tandem caput et reliqua. Sed ridiculam hanc eſſe opinionem tum ſana ratio dictitat, (quae harmonicam eiusmodi vaſorum mirabilemque organorum connexionem ſucceſſiue fieri, ſibi perſuadere nunquam poteſt) tum adcuratior in rebus phyſicis inquiſitio experimentalis ad oculum id oſtendit. Phyſici enim per Microſcopia obſeruant, integram plantae delineationem in ſemine plantarum, v. g. in faba: Vid. DV HAMEL, in *Phyſica;* VALENTINI, in *Armamentario Naturae et Artis, p.* 161. vbi de natura vegetabilium; LEEWENHOEK, in *arcanis naturae*, et alii. Nos pariter per Microſcopia in ouulis inſectorum perfecte elaboratam et exſtructam inſecti machinam vidimus. Ex qua demonſtratione liquido adparet veritas Dauidis, in Pſalterio dicentis: *Du haſt mich gebildet, ehe denn ich war.* Et ipſe etiam ſacrae literae hypotheſin recentiorem Medicorum alias confirmant, qui de generatione ſtatuunt, hominem in ouulo delineatum, quoad omnes partes, in exiguis ſtaminibus ante conceptionem. Vid. BRENDELII diſſert. *de embryon. in ouulo ante conceptionem praeexiſtente*, Witteb. 1703. Reſpond. Hannekenio.

Secundum fundamentum erat incertitudo de origine animae, huiusque ſede, et cum corpore coniunctione. Credebant enim, vt hodienum, Theologorum quamplurimi, animae creationem et infuſionem, et eo quidem hanc fieri tempore, quo omnes partes, in ſpecie ſexum notantes, perfectae formatae fuerint, ne error in animae coniunctione committatur.

Sed haec hypotheſis 1) militat contra principia philoſophica. Omnes enim Philoſophi in eo conſentiunt, quod, vbi materia ſit, ibi forma etiam eſſe debeat, ac forma ſine

 mate-

materia et materia ſine forma conſiſtere vnquam nequit. Vnde eo momento, quo corpus exiſtit, et anima exiſtat oportet. Anima enim eſt forma hominis, cum qua theſi Leges ipſae conſentiunt, in *L. Iulianus* §. *ſed ſi quis ff. ad exhibendum.* 2) Cum homo generatur, perfecte generatur, non quoad partes, ſed quoad totum, cumque hominis materia in parentum ſita ſit ſemine, quare non formam etiam in ſemine ſimul admittamus? 2) Quid in Theologia hinc ſequatur, facile fortaſſe patet. Nam anima, quae creatur atque infunditur, aut pura eſſe debet, aut impura; ſi pura, quare committitur corpori impuro? ſin impura abſurdiſſimum profecto illud hinc ſequeretur principium: Deum auctorem eſſe peccati. Melius itaque ac ſanae rationi conuenientius eſt, credere, animam a parentibus, coniunctim ſumtis, proficiſci, animaeque coniunctionem in ipſo conceptionis tempore fieri. Quin et diuinum illud: MVLTIPLICAMINI! ad animas ſeſe extendere, credibile eſt. Si enim falſum hoc eſſet, quoad corpus filii eſſemus parentum, et quoad animam filii Dei. Cum itaque homo hominem generat, aura ſeminalis, in patris ſemine deliteſcens, ouulum maternum irradiat, idque vel in ouario antiquo, vel nouo, h. e. in ipſo vtero conſtitutum, eoque momento conceptio contingit, atque ab aura ſeminali plaſtica, vel elaſtica, motus inſtituitur, vitaeque principium naſcitur, hinc et anima, modo licet incomprehenſibili, quam communicationem tamen per traducem explicamus, vt cum B. Luthero et Wittebergenſibus vulgo conſueuimus. Noſtrum tamen nunc eſt, in tam ardua et admodum ſubtili dubiorumque plena hac re ICtis ſuam diſtinctionem adamatam relinquere, eruntque fortaſſis in poſterum, qui, rectius edocti, corrigendas haſce ac emendandas ſuſcipiant opiniones ſuas, operamque hanc noſtram non omnem perditam fruſtraue collocatam cenſeant.

CAP.

CAP. IX.

DE
PARTV PERFECTO ET LEGITIMO.

In hac vero doctrina, vbi de nascendi temporibus actum fuit, ICti, fatente ipso COCCEII, in *comment.* ZACCHIAE, *Qu. M. L. lib.* 1. *Tit.* 2. *Qu.* 1. errores commiserunt quam maximos, dum partus legitimi tempus confundunt cum tempore partus perfecti. Ne adeo idem nos error implicet, veram prius, quam rem aggrediamur, terminorum significationem explicabimus. Caeterum summe haec necessaria est doctrina de partu, in foro quippe tam Medico, quam Iuridico, in hoc autem quam maxime, inprimis vbi quaestio agitur de haereditatibus et successionibus.

1. Qu. *Quid intelligatur per partum?*

Per partum in sensu Medico intelligimus non foetum, vtero materno adhuc inclusum, sed infantem potius, mutuis matrisque parturientis et foetus maxime ipsius moliminibus ex vtero exclusum, vel etiam Chirurgia per partum caesareum ex eodem exsectum.

2. Qu. *Quid sit partus perfectus seu Maturus?*

Qui iusto et ordinario fit tempore a natura destinato, id est circa finem trigesimae nonae et nonnunquam quadragesimae hebdomadis; seu qui fit finitis 280. diebus vel nouem mensibus solaribus, decemue lunaribus. VALENT. *ff. Med. Leg. Part.* 1. *Sect.* 1. *cas.* 14. Hinc *naturalis* quoque dictus.

3. Qu.

3. Qu. *Quid ſit Partus Imperfectus ſeu Praematurus?*

Qui fit ante iuſtum et ordinarium a natura deſtinatum tempus. Et talis partus imperfectus modo audit *Abortus*; modo *Partus praecox*. Abortus ſeu *Partus Immaturus* dicitur, qui fit ante ſeptimum a prima conceptione menſem; *Partus praecox* vero vel *Praematurus in ſenſu ſtricto* audit, quando contingit inter ſeptimi et noni menſis, a prima conceptione, finem.

4. Qu. *Quid ſit Partus Serotinus.*

Eſt talis partus, qui contingit poſt iuſtum atque ordinarium a natura deſtinatum tempus. V. g. talis partus ſerotinus eſt vndecimeſtris, duodecimeſtris. Vid. MICH. ALBERTI *Diſſ. de Partu Serotino. Hal.* 1729.

5. Qu. *Quid partus ſit viuus.*

Viuus partus dicitur, qui viuus excluditur, et excluſus per aliquot momenta diesue in vita poteſt ſubſiſtere, ob immaturitatem tamen diu viuere vitamque continuare haud valet. Hic alias dicitur debilis, immaturus, praeternaturalis, abortiuus. Abortus enim foetus eſt immature editus, vel ante menſem ſeptimum natus, qui a plerisque ICtorum neque legitimus, neque vitalis pronunciatur. LL. enim, auctoritate HIPPOCRATIS fultae, partum vocant legitimum, qui ſeptimo menſe contingit. *L. ſeptimo ff. de ſtatu hominum.* ſeu eſt talis partus, qui a menſe ſeptimo vsque in decimum eſt natus.

6. Qu.

6. Qu. *Quid partus ſit vitalis?*

Vitalis ille dicendus eſt, qui non viuus tantum editur, ſed ob maiorem etiam integritatem virium, organorum, membrorumque perfectionem et ſoliditatem in vita perfecte poteſt ſubſiſtere, vt ſeptimeſtris et octimeſtris. Vid. BAVMGAERTNERI *Diſſ. de differentiis partus viui et vitalis. Altorf.* 1747.

7. Qu. *Quid ſit partus legitimus?*

Partus legitimus, iuridice ſumtus, eſt, qui ex iuſto matrimonio, vel iuſtis nuptiis, tempore ad viuendum apto, quo haereditatem adire poteſt, atque in alios transferre, monſtri abortionisque expers, perfecte in lucem editus. *pr. Inſt. de Patr. Pot. L.* 12. *in fin. ff. de ſtatu hom. L.* 3. *L.* 6. *ff. de his, qui ſui et alieni iuris ſunt, L.* 5. *ff. de in iusvocando. Tit. Cod. de Nat. Liberis.* WILDVOGEL in *Diſſ. de part. legit.* §. 2. *p.* 4. LINCK in *Diſſ. de Partu humano legitimo et illegit.* Patet hinc ſimul, quid ſit partus illegitimus; nam omne illud videtur illegitimum, cui leges haud fauent, atque illi partem bonorum, aliaque priuilegia in ciuitate, a legitimis tantum obtinenda, denegant. Gaudere itaque priuilegiis partus legitimi nequit 1.) iſte partus, qui eſt praematurus, 2.) iſte partus, qui vocatur ſerotinus.

8. Qu. *An natura terminum eundem conſtitutum ſemper obſeruet?*

Negandum non eſt, naturam in partu ſtatum plerumque terminum temporis obſeruare, atque ordinarie finitis 280. diebus generationis opus abſoluere, quem quippe terminum et Saluator noſter, tanquam homo perfectiſſimus, obſeruare, adeoque ita naſci etiam voluit. Interim cauſae ſunt variae, quae terminum illum naturalem vel ante vel poſtponunt.

9. Qu. *An homo, vt cetera animalia, certum aliquod tempus habeat nascendi?*

Alii hoc affirmant, alii negant. Qui affirmantem amplectuntur sententiam, dicunt: integrum formationis foetus negotium, in homine non minus, ac in brutis, absolui, iuxta regulas proportionum, temporis atque mensurae. Durante enim gestatione, omni temporis momento, certa quantitas materiae foetus corpusculo, vi circulationis liquidorum, affertur, et cum illo coniungitur, ita, vt spatio 280. dierum summa totius incrementi et extensionis perfectae ad finem perducatur. Hinc theoria de incerto partus tempore tantummodo fluxit ex falsa calculatione et erronea computatione credularum muliercularum. Deus enim Deus ordinis est, qui in corpore humano, eiusque incrementis, haud secus, ac in reliquis creaturis, ordinem, mensuram, numerum, temporaque certa constituit. Negantes autem certum partus tempus, regerunt: Non adeo probabile hoc esse ob sequentes potissimum rationes: 1) Quoniam homini a Deo concessum sit indeterminatum congressus tempus; vnde concludere liceat, ei non esse partus tempus determinatum. 2) Quia in hominibus mira quaedam temperamentorum prae reliquis animantibus diuersitas deprehenditur; ideoque calida et sanguinea temperamenta non plus tantum generant, sed suo etiam modo plus nutriunt, adeoque foetus ipse citius paulo perficitur. 3) Quoniam seminis ἐνεργεία, vel efficacia, mirifice in subiectis differt, pro diuersitate habitus corporis. Vnde liquet, semen spirituosius in ouulo humano motum instituere vehementiorem, adeoque et citiora foetus incrementa posse efficere. 4) Quoniam diuersitas staturae in sexu foemineo etiam obseruatur, vbi vterus, ob angustiam, qua clauditur, naturalem, per decem menses foetui augescendo spatii praebere haud satis potest. 5) Quoniam sanitas etiam in subiectis, non in patre tantum, sed in matre etiam,

etiam, imo et in foetu differt; ex quo liquet, foetum vel citius, vel tardius interdum excludi posse. Atque hae quidem rationes sunt fundamentales dubitandi, absolute nempe certum homini nascendi tempus datum non esse, in quo etiam consentiunt PLATO *lib. V. de republica* AVLVS GELLIVS *in noctib. Attic. libr. III, cap.* 16. GALENVS *de dieb. decretor. libr. II.* ARISTOTELES, *lib. VII. Histor. animal. c.* 4. PLINIVS, *lib. VII. Hist. Nat. c.* 5. speciatim vero HIPPOCRATES, qui, libro de *partu septimestri*, item *lib.* 2. *de diaeta, text.* 19. inquit: *foetum interdum serius, interdum maturius nasci posse.* Hinc ARNISAEVS lib. *de partus humani legitimo termino,* §. 9. inquit: Praecise autem diem, aut mensem, inde praefinire, non licet: quia proportio illa, vt et mixtio, soli naturae constet; et quicquid huius cognitum exploratumque habemus, a posteriori didicimus. Hinc HIPPOCR. de *partu septim.* ad obseruationes obstetricum prouocat. Conf. insimul FORT. FIDEL. *de relat. Med. lib.* 3. *sect.* 7. IOH. PEYSSONEL, *lib. de temporibus humani partus*; ALFONS. DE CARANZA, lib. *de partu natural. et legit.* ANDR. SPIGELIVS, Tr. *de infante in vtero;* BESOLD. in *Thes. Pract.* voc. *Geburts-Zeit*; CARPZOVIVS, in *Praxi forensi c.* 27. vbi integrorum Collegiorum sententiae reperiuntur.

10. Qu. *Quid de partu ante mensem septimum sit statuendum?*

Sciendum, quod sub eo partus eiusmodi contineatur, qui 3. 4. 5. vel sexto mense editur. Hic iure ciuili non pro homine perfecto, sed pro abortu saltem, imo pro mortuo plane agnoscitur: quia naturaliter viuere non possit, teste HIPPOCRATE, qui, *lib. de partu septimestri,* ita praecepit. *L.* 12. *ff. de Statu hom. L. intestato* 3. §. 12. *ff. de suis et legitim. haeredit.* Sunt quidem ICti aeui nostri aequitatis amantes, qui partum eiusmodi, v. g. quintimestrem et sextimestrem,

ſi viuus et organis integris inſtructus deprehendatur, non pro abortu, ſed pro vero atque legitimo agnoſcunt partu, eique iura omnia, priuilegia et effectus tribuere contendunt, vt fecit ALPHONS. A CARANZA, de *partu naturali atque legitimo*, *cap.* 9. quem plerique etiam ſequuntur ICti, prout videre licet ex RENATO CHOPPIN. de *priuilegiis ruſticis*, *lib.* 3. *Cap.* 8. *num.* 8. qui arbitrantur, quod. *l.* 3. *C. de poſth. haered.* leges ffrum emendet, vel corrigat CARPZOV. in *Iurispr. Eccleſ. lib.* 2. *definit.* 22. COCCEIVS, in *Comment. ad* ZACCH. *lib.* 1. *Tit.* 27. *qu.* 2. *p.* 51. STRYK, de *Iure ſenſ. diſſ.* 1. *Cap. I. num.* 40. *et* 41. vbi ait, ſemeſtrem partum regulariter pro immaturo reputandum. Sed addit: qui viuit et perfectus eſt, iuxta *L.* 3. *de poſthumis*, iuris beneficiis non priuabitur, licet non ſit integer. Integrum enim eſſe et perfectum, differunt. Eiusque filius, in *controuerſiis Iuris ſelectis ad Inſtituta*, *diſp.* 2. *theſ.* 16. et ex Medicis SPERLINGIVS, de *Formatione in vtero*, *cap.* 9. THEOD. GRAANEN, Tr. *de homine*, *p.* 758. HARVEVS, *de Partu.* ANDR. SPIGELIVS, *de incerto partus tempore.* Facultas Erfurtenſis, in *quaeſt. de partu trimeſtri*, VALENTINI, *ff. Medico-Legal. part.* 1. *Sect.* 1. *c.* 23. partum eiusmodi pro viuo atque legitimo pronuntiant, ac Facultas Lipſienſis in partu quinquemeſtri ſimile quid fecit, de quo vid. AMMANVM *in Med. Crit. Reip.* 68. Plura ad eiusmodi quaeſtionem reſponſa videre licet in ZITMANNI *Medicina Forenſi Lipſ. Cent.* 1. *caſ.* 15. 17. et alibi. Nonnulli tamen reperiuntur ſtrictiores legum interpretes, qui reiecta noſtrae aetatis ICtorum ſententia in iuris tantum ciuilis decreto acquieſcunt, et partum illum, qui 180. vel 182. die ex vtero viuus egreſſus eſt, licet ilico, poſtquam in lucem editus fuerit, animam dimittat, etiam in manibus obſtetricis, pro vero et legitimo agnoſcunt, iuxta *L.* 12. *ff. de ſtatu Hom. L.* 3. §. *fin. ff. de ſuis et legitimis haered. L.* 3. *C. de poſthum. In caſu vero, quo IV. V. VIto* menſe partus naſcitur, ille, iuxta commemoratum modo ICtorum rigorem, tamdiu immaturus

turus abortiuusque manet, donec 180. dierum terminum attigerit, quo ipſo omnium ſtatim iurium compos fit, quando vero ante illud temporis ſpatium ſpiritum reddit, nec ſucceſſionis ius ei competit, nec teſtamentum is rumpit.

11. Qu. *De partu ſeptimeſtri quid ſtatuendum?*

De partu ſeptimeſtri, ſiue illo, qui 180. vel 182. die poſt celebratum concubitum nuptiasue in lucem hanc editur, non amplius eſt dubitandum. Nam Medice quidem non viuus tantum, ſed et vitalis vtique eſſe poteſt, quamuis raro in vita longiorem annorum ſeriem perſequatur. Sed et Iuridice, iuxta LL. ciuiles, pro legitimo agnoſcitur. Ex Medicorum hinc ordine vitalem illum pronunciauit HIPPOCRATES, *libro de partu ſeptimeſtri*, item *lib. de Carne*, vbi tamen ſimul plurimos horum periiſſe commemorat, paucos vero ſuperſtites euaſiſſe, id quod Medicotum hodienum experientia confirmat. Plerumque enim immaturi ſunt, raroque ad perfectionis illud punctum, quod natura conſtituit, peruenerunt. Vnde nec aerem liberiorem, nec alimenta perferre poſſunt, ob integumentorum communium ſubtilitatem, pulmonis, ventriculi, aliorumque organorum imbecillitatem, imo caloris etiam proprii defectum. Interim tamen foetus menſe ſeptimo naturae intentione non naſcitur, vt multis id argumentis probatum iuit ZACCHIAS, *lib. I. Tit. II. Qu. III.*

12. Qu. *De partu octimeſtri quid ſtatuendum?*

De partu octimeſtri, an legitimus ſit et vitalis, dubitant nonnulli ICti et Medici, et quidem his maxime rationibus inducti: 1) auctoritate nixi HIPPOCRATIS, qui ll. cc. foetum illum, ob exeundi conatum, menſe ſeptimo adhibitum, poſtea, octauo ſcilicet, labefactatum pronunciat, adeo,

vt non ſatis robore praeditum ad ſuſtinendos partus labores ſe ſentiat. 2) Arbitrantur aſtrologi ſuperſtitioſi, Saturnum, vt Planetam frigidum, octauo geſtationis menſe imperium tenere in foetum, qui, nimis eum refrigerando, ad motum minus reddat idoneum. Prioris argumenti imbecillitas ac leuitas ex hoc adparet, quoniam haud impoſſibile, foetus vires, in 7mi menſis principio imminutas, per menſem denuo reſtitui, et ipſe etiam SENNERTVS, Medicus olim feliciſſimus, iam demonſtrauit, in *Inſtitut. Med. lib.* I. *c.* 20. et in *praxi ſua, lib. IV. part.* 2. *Sect.* 6. *c.* I. motum illum, menſe ſeptimo foetui ab HIPPOCRATE adſignatum, vtique in dubium vocandum eſſe, quoniam motus ille reliquis motibus ordinariis haud maior, neque partus conatibus ſimilis ſit et appareat. Poſterioris ratio a GODOFREDO, ad *L.* 3. §. *fin. lit. K. ff. de ſuis et legitimis haered.* refutatur, dum ſententiam hanc de Saturno nugas vocat Aſtronomicas. Vnde adeo adparet, dogma de debilitate partus octimeſtris debilibus ſuperſtructum eſſe argumentis, id quod, praeter Sennertum, fuſius docuit BONAVENTVRA, de *partu octimeſtri*, inprimis *lib.* 9. 10. vbi oſtendit, merito ab HIPPOCRATE eſſe recedendum. Hoc plures ſimul fecerunt Philoſophi et Medici noſtri aeui, v. g. celeb. WEDELIVS noſter, in ſua *Phyſiol. ſect.* 2. *c.* 31. et VALENTINI, in *ff. Med. L. Part.* I. *ſect.* I. *caſu* 33. vbi integrorum collegiorum reſponſa reperiuntur. Si enim ſeptimeſtres ſunt vitales, tanquam minus maturi, cur non octimeſtres, qui prorſus maturiores illis ſunt, magisque formati, et calore ac robore vegetiori praediti? Aduerſus ICos, qui partum octimeſtrem non legitimum, alias crediderunt, diſputauit DOMINICVS ARVMAEVS, noſter *lib.* 2. *deciſ. vlt. num.* 50. *ſeq.* et FRID. BONAVENTVRA, l. c. qui partus octimeſtris legitimationem prolixiſſime deducit. Nec deſunt alii, qui partum octimeſtrem pro iuſto atque legitimo pronunciant, vt HAHNIVS ad WESENBEC. de *ſtatu hominum, num.* 3. *verb. poſtquam nati p.* 165. vbi plures DD. allegat, CARP-

ZOV.

ZOV. *Iurispr. forens. P.* 4. *Const.* 27. *Def.* 14. et *lib.* 2. *Iurisprud. Consist. tit.* 13. *def.* 226. ZIEGLERVS, in not. ad ZACCHIAM, obseruantiam in Consistoriis quoque allegat. Interim, cum naturalis terminus sit finis noni, et principium decimi mensis, sequitur, quod foetus sine dubio, quo longius ab hoc recedat, tanto minus robustus atque perfectus sit; quo magis vero illum terminum attigerit, eo perfectior fuerit, ob soliditatem et incremenum membrorum et partium, vt hinc eo melius certiusque in vita valeat persistere. Haec quoque ratio perspecta fuit HAHNIO ad WESENBECIVM, de *statu hominum*, et CARPZOVIO, in *Praxi forensi.* Cum itaque adpareat, quod partus praecox atque immaturus raro quoad corporis habitum petfectus sit, adeoque etiam vitalis, ideo in his diiudicandis decernendisque cautus sit Medicus et ICtus; id quod fieri potest accurata lustratione et inuestigatione non circumstantiarum tantum, sed et subiectorum, partum aliquem semestrem atque octimestrem venditantium.

13. Qu. *Vnde partus maturitas eiusque perfectio noscenda?*

Quemadmodum, cum de virginitate, praegnantia, abortu, vulnerum lethalitate quaeritur, nemo iudicat, nisi lustratis, per inspectionem et contrectationem, distinctis inter se circumstantiis in subiecto illo, vel indiuiduo, de quo depositio et renunciatio postulatur: Ita vix paradoxon videtur, si Medicus, antequam praesumtionem de partu hoc vel illo, vitalisne ac legitimus sit; perfectusne ac maturus; an secus? deponat, subiectorum examen adcuratius praemittat. Ideo hoc in casu inspectio vtique requiritur, in qua ad sequentia attendendum.

1) Ad magnitudinem, an iusta scilicet et adaequata illius sit proportio; *ob nemlich das Kind so groß sey, als ein Kind von solchem Alter (Monaten) zu seyn pfleget.*

2) Ad

2) Ad pondus, pondus immaturi foetus ad ſex libras non adſcendit, ſaepe infra quintam libram ſubſiſtit.

3) Ad conformationem. V. g. in immaturiori 1) Sutura Coronalis, vel potius Hiatus Rhomboides, verbo Fontanella Infantum, plus hiat et cranii oſſa ex facili mobilia. Vid. KERCKRINGIVS, in *Oſteogenia et ἀνθρωπογενία*. 2) Auriculae minus patent, et extrinſecus minus prominent. 3) Os et nares quoque veluti occluſae ſunt, minusque prominent. 2) Labia cum auriculis inſtar carnis cruentae, ac cute minus perfecte tectae deprehenduntur. 5) Oculi ſunt clauſi; nam palpebrae arctius conniuent, et quaſi conglutinantur. 6) Digiti manuum pedumque indiſtincti quodammodo, et ſine vnguibus conſpiciuntur. Quod ſignum quidem ab HIPPOCRATE, lib. de *ſuperfoetatione*, proponitur. Sed hoc intelligendum tantum de embryonibus admodum exiguis, vnius, vel duorum menſium. In embryonibus vero trium menſium vngues adſunt, id quod deſiderantibus ad oculum exemplis oſtendere poſſumus. Sunt vero tales vngues breues, teneri, molles, facile plicandi, vltra digitos non prominentes vix lineam longi. 7) Tota cutis rubet, in extremis maxime artubus et facie, quandoque tamen etiam liuet. 8) Capitis capilli ſunt albicantes vel flaueſcentes et nitentes; cilia et ſupercila tenerrima et laeuiſſima.

4) Ad vocem, num qua adſit, nec ne? praeſertim, cum vox viuum vitalemque omnino foetum deſignat. Vnde dicitur: *Das Kind hat die* 4. *Waende beſchryen. Ius Saxon.* im *Lehnrecht, art.* 20.

5) An perfectus membrorum motus ſit, an vero imperfectus?

6) An continuo ſomno indulgeat, nec ne?

7) An vbera petat, an vero minus?

Plura ſigna, quae immaturum eſſe foetum confirmant, exhibet RÖDERER *l. c.* p. m. 98. 99.

Ex qui-

Ex quibus ſignis adeo elucet, an foetus viuus ſit, debilis licet, an vitalis.

14. Qu. *Quaenam cauſae ſint foetum debilitantes?*

Variae earum quidem dantur, quae tamen omnes probe ſunt detegendae, examinandae, annotandae et cum rationibus decidendi anneclendae. Hoc vero vt fiat, conſideranda ſunt 1) Antecedentia partum; 2) Partus ipſe; 3) Conſequentia partus.

Quae partum antecedunt, ſigna deſumi plerumque ſolent v. g. 1) a diſpoſitione mariti. Pater enim genitorque morboſus, v. g. phthiſicus, hecticus, hypochondriacus, alioque notabili valetudinis vitio affectus, ſuccos in corpore ſuo non praeparat conuenientes ad ſui, multo minus ad generis conſeruationem. Ergo ſemen iners habet, minusque actiuum.

2.) Matris quoque conſtitutio naturalis et praeternaturalis examinanda. Hinc mater exigua, gibboſa, imbecillis, ob vterum exiguum, valdeque compreſſum abdomen, excludere vix poteſt foetus perfectos, vitales, ſanosque, cuiusmodi, vel ſimile quid ſentiendum etiam de matre hectica, tabida. Dum enim quantitas liquidorum ad proprium ipſius corpus alendum non ſufficit, ſufficere illa multo minus poteſt ad incrementa foetus praeſtanda, modo conuenienti. Ad matris in hoc negotio habitum ipſe reſpicit HIPPOCRATES, *lib. de ſuperfoetatione, text.* 8. vbi inquit: *Si qua partui vicina ſit, et oculos cauos habeat, et facies intumeſcat, et ipſa tota, itemque pedes tument, vt veluti pituita alba apprehenſa appareat, et habet aures albas, et ſummum naſi album, et labia liuida, ea ipſa mortuos geſtat, quos pariet, aut viuos praue, et non vitales, et exſangues, vtpote morboſos, aut prius peperit non vitales. Sic et quae mammas habet graciles et*

 flacci-

flaccidas, aut si multum ex iis lactis effluat, foetus male sanos et difficulter vitales gerit, teste eodem HIPP. *aphor.* 5. *num.* 52. *et seqq.* id quod confirmat CELSVS, *lib.* 2. *cap.* 6. Haec enim omnia oeconomiam foetus, in vtero materno turbatam, arguunt.

3. Morbi matris antecedanei huc pertinent, vt fluxus mensium extraordinarius, casus ex alto, affectus animi, quae causae omnes partum intempestiue ab vtero separare, adeoque exclusionem immaturam promouere valent; qui partus tamen, vt fructus immaturi, minus durabiles existunt.

In partu illa inprimis obseruanda sunt symptomata, quae in partu immaturo et intempestiuo satis esse solent atrocia.

Post partum varia itidem incommoda se offerunt, v. g. nimia sanguinis profusio, summa debilitas, dolores post partum exquisitissimi ac vehementissimi, quae accidentia presso inuicem se pede prosequuntur, cum partus eiusmodi sit intempestiuus.

15. Qu. *Quid sentiendum de partu decimestri, vndecimestri et duodecimestri?*

Dictum a nobis superius, terminum partus naturalem esse post 9. menses solares, vnde quaestio de partu decimestri et duodecimestri incidit. De decimestri reuera dubium non est, quin fieri possit: de vndecimestri vere merito quodammodo dubitatur, inprimis cum HIPPOCRATES, *Lib. de Natura puerorum*, *Text.* 38. *et* 40. contendat, nullam foeminam vltra 10. mensem vterum gestare posse.

Interim eiusmodi nonnulli casus dantur extraordinarii, ac reuera natura suo modo terminum naturalem retardare potest. v. g. 1) eiusmodi partus retardatio fit ob energiam

semi-

ſeminis deficientem, morboſam patris conſtitutionem debilemue, vt fieri in ſenectute ſolet. 2) Partus retardatur ob matris diſpoſitionem phthiſicam, hecticam, vbi foetus ſufficienti alimento deſtituitur. 3) Ob ſtatum etiam matris cachecticum. 4) Ob fluxum menſium tempore geſtationis contingentem. 5) Ob diarrhoeam, aliumue fluxum et morbum. 6) Hoc fit ob nimiam vteri amplitudinem. Vid. Caſ. in VALENTINI *ff. Medico-Legal. n.* 36. 7) Fieri hoc poteſt ob affectum matris extraordinarium, triſtitiam, qua tota matris maſſa ſanguinea turbatur, adeoque et foetus ipſius nutritio. 8) Ob diaetam matris extraordinariam, imo inediam. 9) Ob foetus debilitatem et diſpoſitionem morboſam. 10) Quando plures foetus in vtero detinentur.

Patet itaque ex his iam allatis argumentis, partum vtidecimeſtrem et duodecimeſtrem ex principiis Medicis legitimum pronunciari poſſe, certis poſitis circumſtantiis, quamuis Ius Ciuile eiusmodi partum pro legitimo agnoſcere haud velit. Recentiores quidem LL. interpretes iuxta pronunciata Medicorum tutius paulo iudicare ſolent. Vid. *ff. Med. Legal. Cel.* VALENTINI, *Part. I. Sect. I. Caſ.* 35. 36. 37. in quibus vndecimeſtris partus a Facultatibus Medicis legitimus pronunciatur. Apud AMANNVM, *in Medicina Critica, Reſp.* 44. quoque reperitur caſus, vbi Lipſienſis Facultas partum duodecimeſtrem, *vnd noch* 13. *Tagedrüber*, *Marthae Blattin, deren Hauswirth vor einem Iahre geſtorben*, *als er noch des Tages zuvor mit ihr am Tiſche geſeſſen*, pro legitimo pronunciauit, ex ea ratione, quia mulier per trimeſtre ſpatium dolores parturientium continuos, absque iactura virium, pertulerat. AMANNVS inſimul, in diſcurſu ad eundem caſum, plures dubitandi rationes quidem ſuppeditat, et reſponſionem illam in fauorem matrimonii datam ſuſpicatur. Reperiuntur quoque apud SCHENCKIVM, *Lib. IV. obſ. n.* 156. *vsque ad* 160. it. in Comment. ad ZACCHIAE

Quaest. Med. Leg. Lib. I. Tit. 2. *qu.* 6. Caſ. de partu 13. 14. menſium, imo aliquot annorum. Sed quid de eiusmodi partu ſtatuendum ſit, nemo non nouit, qui leges oeconomiae animalis quodammodo didicit. Eiusmodi nempe exempla plane impoſſibilia ſunt, et contra omnem rationem militant, ac vel ad fabulas, vel ad portenta potius pertinent.

Hoc quidem verum, et rationibus atque experientiis medicis contrarium non eſt, *foetum, praeternaturaliter conceptum, vel etiam in vtero per certas cauſas obuenientes praeternaturales laeſum, et ſic extinctum, ac e vita ereptum, absque detrimento vitae matris, per aliquot dierum, menſium, imo annorum ſpatia, in vtero deliteſcere poſſe, non viuum inquam, ſed mortuum.* Tale exemplum contigit anno 1720. menſe Martii, in pago Sueuico, prope Gemundam, vbi foemina 46. annos foetum, oſſeis tunicis incluſum, vtero geſtauit, de quo caſu, ſub Cel. CAMERARII, *Prof. Tubing.* praeſidio, eruditam inauguralem ſuam conſcripſit diſſertationem Dominus D. ORTH.

B. Parens meus ſimile quid fere obſeruauit in foemina militis, quae in tuba vteri dextra conceperat, et ſic tumorem ſibi contraxerat, in hypochondrio illo eminentem. Hunc tumorem, finitis 20. menſibus, aperiebat laudatus Parens meus, Medicus in praxi feliciſſimus, et in obſeruationibus curioſiſſimus, et extrahebat corruptum foetum exiguum, tunicis tamen firmioribus incluſum, cuius ſceleton, iuſſu SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIS, IOHANNIS FRIDERICI, glorioſae memoriae, Romam transmiſſum, vbi aſſeruatur.

Similes hiſtoriae continentur in ELSHOLZII, Medici Berolinenſis, *Obſ. de conceptione tubarum*, it. in Domini ABRAHAMI CYPRIANI, *Londinenſis, Medici et Profeſſor. Anatom. ac Chirurg. in Academ. Franeckeriana*, Epiſtola ad Domin. MELLINGTON, Praeſidem Medicorum Londinenſium, de conceptione tubarum. Quo pertinet tandem D. D. MONTAGNIE-

TAGNIFRE, Meſſilienſis, *de formatione foetus in loco inſolito*, it. ea, quae in MANGETTI *Theatr. Anatom. Lib.* 2. *P.* 2. *Cap.* 3. reperiuntur de embryonibus, extra vterum conſtitutis.

Sed de eiusmodi conceptione et partu in foro Medico-Iuridico ſermo non eſt, quoniam ICti pro obiecto habent foetum viuum vitalem, et in loco conuenienti conceptum.

CAP. X.

DE ABORTV.

I. Qu. *Quid ſit partus, quid abortus?*

Partus eſt actio naturalis, ſatis tamen moleſta et periculoſa, qua iuſto tempore circa finem noni menſis foetus viuus et perfectus excluditur.

Abortus vero vocabulum multis modis accipitur. 1) Sub abortu continetur *effluxus*, Graecis ἔκρυσις, et eſt conceptus eiectio, quae intra ſeptimum diem fit.

2) Ἐκτρωσμός, quae intra quadrageſimum contingit. Diſtinguunt nonnulli, e.g. NONIVS MARCELLVS, inter aborſum et abortum: *Aborſumque* dicit eſſe, qui primis fit menſibus, vbi conceptui factum eſt exordium; *abortum* vero, qui prope tempus pariendi obuenit.

3) *Abortus* dicitur foetus praeternaturalis excluſio, quae ante diem, ſibi a natura deſtinatum, ſed ex aliqua vi, contingit, qualem abortum promouent illae, quae ita infamiam ſuam, aut impudicitiam, impio conatu tegere volunt.

4) *Abortum feciſſe mulierem*, dicunt ICti, quae ante ſeptimum menſem peperit. Hinc ZACCHIAS, *Lib.* 1. *Tit.* 2.

 qu. 10.

qu. 10. *n.* 19. inquit: Non obſtaret, quod quis in ſexto menſe naſceretur, et per aliquot horas, aut etiam dies, viueret, vt fieri poſſe non eſt ita impoſſibile: tamen quia hic partus habet cum vita talem repugnantiam, vt viuere nullo modo poſſit, niſi ex miraculo, idcirco abortiuus dici debet, neque teſtamentum, neque donationem rumpere, neque aliud quicquam illi prodeſſe, quod vero ac naturali partui prodeſſe ſolet; ſic et mulieri, talem foetum parienti, nihil quicquam prodeſſe debet, ita, vt ex ea cauſa parientium priuilegiis gaudere debeat, niſi iis, quae corporis valetudinem reſpiciunt. Aſt, an in tali caſu non ſit mitior ſententia ferenda, iudicent alii ex ſupra dictis, in capite praecedente.

5) *Abortus* etiam dicitur foetus, in vtero mortuus. Abortus enim nomen idem importat, ac ſi diceres non ortus, vel fruſtra ortus, ac idcirco abortus parificatur ei, qui nunquam natus eſt. TIRAQ. in *L. ſi vnquam.*

2. Qu. *An dentur ſigna partus et abortus?*

Dantur vtique, et ipſa C. C. C. V. art. 35. de illis quoque inter alia loquitur. Aſt haec quaeſtio ſemper tripliciter diuidenda: nam vel quaeritur, an mulier abortum procurauerit? vel quaeritur, an pepererit? idque rurſus dupliciter: vel enim quaeritur, an vnquam pepererit, et mater fuerit facta? vel, an pepererit de recenti?

Signa mulieris, recenter enixae, plura, et minus fallacia obſeruantur: 1) Ventris flacciditas et rugoſitas, admodum conſpicua. 2) Cruoris, vel ſanguinis, per pudenda muliebria effluxus. 3) Dilatatio vaginae vteri extraordinaria. 4) Regionis pubis intumeſcentia. 5) Animaduertente PINAEO, *de Notis Virginitat. L. I. C.* 7. tumor pudendorum oedematoſus. 6) Lactis in mammis praeſentia. 7) Durities

ties mammarum, a tactu dolorofa. 8.) papillae mammarum craſſae et amplo diſco minoribus papillulis diſtincto. 9.) os vteri laxum, molle, tumens, non bene clauſum. 10.) grauis odor puerperii ſingularis. Vid. RÖDERER *l. c.* Quae ſigna ſimul obuenientia ſatis probant, mulierem peperiſſe, ſeparatim vero ſumta fallere poſſunt. Ne tamen id fiat, accuratam dabimus horum ſignorum perluſtrationem.

Fluxus ſanguinis poſt puerperium non confundendus cum fluxu menſium. Ne itaque hoc fiat, probe obſeruanda eſt 1) *quantitas ſanguinis*, quae in fluxu menſium parcior et breuior eſt, ad tres, vel quatuor tantum dies durans. Poſt partum vero lochia fluunt copioſa, imo ad inſtar grumorum et fragmentorum, *ſtückweiſe*, fluxusque durat 6. vel 7. dies. 2) *Qualitas*, vbi obſeruamus, ſanguinem lochiorum 6to, 8uoque die poſt partum fluere cum aliquo foetore ac purulentia, ac tandem deſinit circa 9. et 10. diem: id quod in fluxu menſium nunquam obſeruatur. Nam menſium fluxus oritur tantum a ſanguinis abundantia naturali, quae vaſa vteri lateralia ſucceſſiue dilatat, a qua dilatatione illa quoque aperiuntur, et ita ſanguis ſuperfluus ex illis exſtillat. In fine fluxus menſium ſeroſitas aliqua tantum, nunquam vero purulentia obſeruatur. In partu vero et abortu res longe aliter ſeſe habet. Nam hic ſanguis, poſt partum per pudenda muliebria exſtillans, oritur a vulneratione vaſorum, et placentae vterinae ab vtero ſeparatione. Ergo in fine fluxus lochiorum partim aliqualis purulentia, partim foetor contingere debet.

Dilatatio partium genitalium, imo *rugoſitas abdominis*, dependet a mole foetus, haſce partes mirum quantum dilatante. Inprimis vero ligamentorum ſubſtantia in parte poſtica ſinus pudoris circa perinaeum, quae furca dicitur, notabiliter dilatatur, id quod examinanti facile patebit.

Tumor oedematoſus pudendorum contingit plerumque a partium compreſſione, et ſimultanea forti extenſione, quando foe-

do foetus exitum ſuum affectat, vbi, laxatis et quaſi contuſis hiſce partibus, inprimis in regione pubis, ſanguis et lympha poſtea ſtagnant et cumulantur, adeoque tumorem mollem et magis aquoſum ibi producunt.

Lactis prouentus in puerperis etiam facile negotio diſtingui poteſt a Medico rationali ab illo lactis prouentu, qui ſuperuenire ſolet, iuxta HIPPOCRATEM, *Sect. V. aph.* 39. menſium obſtructionibus. Hoc fieri poteſt, quando attendimus ad quantitatem et qualitatem lactis. Nam 1) in menſibus obſtructis parua quantitas liquoris mammarum obſeruatur, maxima vero in puerperis, primis inprimis poſt partum diebus, vbi ab eius luxuria mammae non tantummodo inſigniter tument, ſed et dolore tenſiuo inſimul afficiuntur, imo lac abundans ſponte quoque in plerisque ex mammis exſtillat. 2) In menſibus obſtructis raro lac albidum et perfectum deprehenditur, ſed potius liquor ſeroſus et aquoſus, in puerperis vero lac debitam ſuam conſiſtentiam acquiſiuit. Ideo hoc ſignum probe attendendum eſt, monente in ſpecie *Conſtit. Crimin. art.* 36. *welcher denn in denen Brüſten NB. recht vollkommene Milch erfunden wird*, etc. An olim vero aliqua pepererit dignoſcere, res maioris momenti ac difficultatis eſt. Nam hic praeſumtiones illae, iam allegatae, locum non inueniunt, et ideo concludere minus licet a ventris flacciditate et rugoſitate, partiumque genitalium amplitudine ad partum occultatum, 1) in illis, de quibus certi ſumus, iam antea peperiſſe, v. g. viduis, vbi dubius manet Medicus pariter et ICtus, an a priſtino, an a poſtremo partu illa epigaſtrii flacciditas et rugoſitas, ac pudendorum dilatatio ſit. 2) In virginibus etiam hoc non quadrat. Nam diſtenſio illa abdominis etiam ab alia cauſa prouenire ſolet, v. g. hydrope, fluxu menſium retento, colica, ad quam ſexus foemineus in ſpecie inclinat. 3) Etiam illa rugoſitas, adhibito debito regimine, in primiparis inprimis vero, quando praeterlapſo aliquo temporis ſpatio partes ſubſederint. 4) Semel,

mel, vel bis puerperae, quando obesiores sunt, parum, aut nihil rugositatis in abdomine experiuntur, inprimis, si foetus minor fuerit. 5) Norunt etiam subligaculis, de collo suspensis, ventrem tumidum sustinere, et distensionem violentam reprimere. 6) Partium genitalium laxitas quoque nihil certi probat. Nam illa naturalis esse potest, vti supra monuimus de virginitate. Natura enim ludit in hisce partibus. Imo tractu temporis sponte cessat interdum haec laxitas, praeprimis, quando diu a coitu et partu abstinuerint foeminae.

Ex his iam allatis facile patebit, quod eiusmodi examen summa cum prudentia et circumspectione sit suscipiendum. Nam haec inuestigatio interdum adeo difficilis est, vt vix vel plane non cognosci possit abortus. Fit enim interdum abortus prompte, vt foeminae ipsae vix illius plus, quam eruptionis mensium, rationem habere possint, et excernuntur eiusmodi foetus interdum sine vllo doloris sensu. Ast ad meliorem huius rei notitiam acquirendam probe attendendum, an abortus sit prouocatus primis mensibus. Quando primis mensibus prouocatur, vbi foetus, eiusque placenta, non adeo firmiter cum matre cohaeret, fieri hoc potest sine euidenti matris alteratione; sine vehementi sanguinis profusione; nam vasa adeo maiora non existunt; sine partium genitalium praeternaturali amplitudine; nam corpus exiguum foetus facile per aperturas transit; sine febri; nam massa sanguinea et vterus leuissimo remedio exagitari possunt, et foetus separationem promouere. Ex quibus patet, abortus signa primis mensibus admodum esse difficilia. Quando vero abortus fit vltimis gestationis mensibus, aliter fieri non potest, quin superueniant grauissima symptomata. Nam foetus aliquo modo firmiori nexu cum matre cohaeret, et ab irritante remedio non tam facile mouetur.

3. Qu. *Quaenam ſint remedia, abortum promouentia, et quomodo agant?*

Ad abortum excitandum remedia varia pertinent, primario fortiſſima purgantia, vomitoria, ſternutatoria, diuretica, emmenagoga, mercurialis ſaliuatio, et ipſa venae ſectio, quae omnia maſſam ſanguineam partim caliditate, volatilitate, et elaſticitate ſua fortiter commouent, et expandunt; partim ſalibus acrioribus ſanguinis fluxum per muliebria promouent; partim vteri et viſcerum abdominis neruoſas partes enormiter irritant ac ſtimulant, et ſic conuulſiones doloresque notabiles harum partium praeſtant, quibus mediantibus foetus vel expellitur, vel debilitatur enormiter, aut in vtero extinguitur. Huc pertinent porro ipſa venena, de quibus vero alibi, plethora, animi pathemata, item violentiae externae, curſus, ſaltationes, praecipitationes, abdominis compreſſiones, ponderum geſtationes, fuſtigationes, pertinent et huc morbi varii, febres acutae, inflammatoriae, dolores vehementiores, motus conuulſiui, molimina fluxus menſtrui, cachinnus &c. vno verbo, omne id, quod vterum quaſſare aut relaxare et ſanguinis fluxum commouere poteſt. Ergo vtplurimum in eiusmodi ſtatu, foetu nempe maiori per pellentia expulſo, ſuccedunt et cumulantur grauiſſima ſymptomata, ſanguinis nempe profuſio maxima per pudenda muliebria, dolores intolerabiles, et interdum lethales abdominis, vteri, partium genitalium, renum, veſicae vrinariae inflammationes, febres, et ex his laſſitudo, pallor faciei, inquietudo, appetitus proſtratus, deliria, conuulſiones etc. quae omnia a violenta illa ſeparatione placentae vterinae, et vaſorum vteri vehementi dilaceratione, maſſaeque ſanguineae et neruorum exagitatione dependent.

4. Qu.

4. Qu. *An dentur remedia abortum promouentia ſimpliciter talia?*

Si ſub remediis abortum ſimpliciter promouentibus intelliguntur talia remedia, quae ſemper, quando in vſum vocantur, abortum producunt, affirmandum eſt, quod talia non dentur. Experientia enim ſatis abunde declarat, quod remedia, quaeſtione praecedente allegata, nequaquam in omnibus grauidis abortum prouocent, ſed tantum in iis, in quibus vna vel altera cauſa, ad abortum diſponens, qualis v. g. eſt vterus, qui propter ſuum habitum vltra determinatum gradum extendi nequit, iam adeſt. Vid. Ill. ANDR. EL. BVCHNERI *Diſſert.* qua quaeſtio: *Num dentur medicamenta, quae abortum ſimpliciter promouent*, in partem negatiuam reſoluitur. Hal. 1746. Anonymi *Tract. de Abortu* Hanou. 1735. 4.

5. Qu. *An ea, quae abortum promouet dedita opera, verum committat homicidium.*

Omnino, vti ſatis abunde apparet ex iis, quae iam fuere dicta *Cap. VIII. qu. 2. p.* 50. Recte hinc b. IO. ER. HEBENSTREIT in *Anthrop. Forenſ. p. m.* 371. *Iam dudum*, inquit, *ex foro exulat iſta, ſub qua, hominem occidi intra vterum poſſe,* NEMESIS CAROLINA *ſtatuit, conditio, vt animatum foetum eſſe oporteat, in quem atrox illud crimen commiſſum eſſe dici debeat. Semper enim, ex quo in minimo ſtamine ouuli materni creſcere foetus incipit, viuit, adeoque animam ſemper habuit, et ſi vegeta mater eſt, certa, intra vterum adoleſcendi, tandemque ad vitae propriae, fruitionem, perueniendi fiducia gaudet, adeoque perinde eſt, ſpe vitae excluſiſſe foetum vnius menſis, quam enecaſſe, qui viuus natus eſt.*

6. Qu. *An maturus foetus ſeruandae matris cauſſa occidendus? An abortus prouocandus ſit, ut mater grauida a magno morbo morteque liberetur?*

Hae quaeſtiones dudum a priſcis Medicis iam ſunt motae ac ventilatae. Cum vero varia vulgi iudicia, de Medicorum actionibus, et grauidarum methodo medendi lata, ſermoni huic anſam praebuerint, ideo, in fine huius capitis, quoque eas annectere ex re eſſe duxi. Ad primam autem quaeſtionis partem reſpondet RIOLANVS, in *Enchiridio*, *L.* 2. *C.* 28. notabili tamen cum audacia: ſi mulier, inquit, exegerit duos, tresue dies in tormentis partus; ſi moribunda et exanimis; ſi gangraenae, in partibus pudendis, indicia compareant: etiamſi certo non conſtet de morte infantis, vnco extrahatur, vt conſeruetur mater. Praeſtat, vnum interire, quam duos: vita matris praeferenda infanti. Non debet mater mori, vt ſaluetur infans. Haec RIOLANI verba ſane nimis dura, et obſtetricandi artis regulis minus conuenientia eſſe videntur. Ipſe enim Chirurgus et Medicus non ſemper certus eſſe poteſt, an ita ſaluetur mater, dum non ſufficit, extractionem foetus, interdum ſatis horrendam, vncis, aliisque in Chirurgia vſitatis inſtrumentis, ſuſcipere, foetumque in fruſta diſcindere, ſed conſcientiam ſuam ſeruare potius debet Medicus, ac ideo caute atque circumſpecte in ardua hac operatione procedere, iuxta regulas eorum, qui foetum extrahere docent ſine inſtrumentorum ſecantium adiumento. Vid. IO. CONRAD. BECKER de παιδιοκτονία, Gieſ. 1729. 4to.

Ad alteram quaeſtionem quod attinet, caſus interdum emergunt, in quibus metuendum, ne grauida, natura tenera, in partus oneribus ſuccumbat, inprimis ſi vterus et veſica a magno morbo afficitur, ex quo in partu mortaliter laedi

laedi possit, aut affligatur aliter, a morbis nempe acutis, febribusque malignis, haemorrhagiis vteri (in hoc casu DIONISIVS, in *chirurgia sua*, audacter quoque abortus promotionem suadet,) diarrhoeis, in quo casu Medicus, qui agat, sane interdum nescit. ZACCHIAS, *L. 6. Tit. 1. qu.* ;, varios, ex ICtis pariter ac Medicis, citat Autores, qui taler abortus promotionem suadent, atque commendant, qu mater a morte vindicetur, ne simul cum infante pereat. Consentit quoque AMMANNVS, in *Med. crit. cas. 6.* vbi a quaestionem, an Medico abortum prouocare liceat, ita respondet: ego, inquit, distinguo 1) inter personas suspecta et non suspectas. 2) Inter morbos acutos, grauidas infestantes, in quo casu praestat, matrem seruare, quam concedere vt mater et foetus intereat. Medico tamen hic sempe cautione opus est. Et, quemadmodum, pro conseruanda arbore, rami abscinduntur, aut nauis, nimis onerata, oborta tempestate, euacuatur, ita vita matris interdum per iacturam foetus conseruatur. Vid. Celeb. BOHNII, differt. *de abortu salutari.* Quid enim agendum in grauida, quae v. g. venenum assumpsit, an non statim propinandum vomitorium, quod tamen ad abortum prouocandum insimul aptissimum est remedium, quid agendum in febribus grauidarum, tum continuis, tum intermittentibus, nonne venaesectio, purgans, vomitorium, generosumque bezoardicum concedendum, quae omnia insimul abortum promouentia suo modo dici possunt remedia, quid faciendum in grauida, lue venerea laborante, nonne hic praebenda mercurialia, vtpote quoque foetum pellentia remedia. Necessitas durum telum quoque in Praxi Medica est, vbi sane interdum non cunctandum, sed quid agendum et suscipiendum potius, aut moriendum. Distinguunt ideo Medici inter abortum directe atque indirecte prouocatum. Illum vocant, quando dolo malo spes prolis exstirpatur; indirectum autem, quando remedia,

morbo quidem matris competentia, ſed ſimul ita comparata adhibentur, vt tenello nocere poſſint. Huncce poſteriorem modum inter licitos, priorem inter illicitos numerant.

CAP. XI.

DE SVPERFOETATIONE.

1. Qu. *Quid Superfoetatio ſit?*

Superfoetatio, ſiue ſuperimpraegnatio, Germanice *Ueberſchwängerung*, eſt conceptio, ſupra conceptionem facta, cum ſcilicet mulier, iam grauida, iterum ex nouo coitu & nouo ſemine alium ſimul foetum concipit. Manifeſta ergo fit ſuperfoetatio tantum per partum ſubſequentem. Vid. IO. PH. GRAVEL *Diſſ. de ſuperfoetatione. Argentorat.* 1738. Diſtingui poteſt talis ſuperfoetatio in *Veram* ſeu *Exquiſitam*, atque *Spuriam*. *Vera* dicitur, vbi vterque foetus in vtero vero continetur; *Spuria* dicitur, in qua alter foetum vterum ſpurium, qui formatur vel a portione tubae Fallopianae dilatata, vel ab alio conceptaculo, vtero quacunque ratione adiuncto, alter vero vterum verum occupat. Vid. Celeb. EISENMANN *in Tab. Anatom. vteri duplicis.* Recte hinc ad omnem ſuperfoetationem veram tria requiruntur: 1.) noua grauidae mulieris conceptio; 2.) notabile inter partum vtriusque foetus tempus intercedens, 3.) foetus ambo perfecti. Quaeſtio hanc ob rem mouetur apud ICtos et Medicos, an talis detur ſuperfoetatio, in caſu nempe, ſi vidua, praegnans a marito relicta, iuſto tempore foetum pariens, poſt plures dies, ſeptimanas, et menſes alium foetum excludit, qui ratione temporis non a marito generatus, ſed ſuperfoeta-

foetatus esse videtur, et dubitatur simul de matris castitate, et nati posteriores legitimatione.

2. Qu. *An detur superfoetatio vera, siue, an post priorem conceptionem alia alio tempore fieri queat, ita, vt simul gestentur duo foetus distinctae tamen aetatis, hinc diuerso partus tempore excludendi?*

Dubitant quidem Medici de superfoetatione, inter quos primas tenet VALVERDA, Hisp. *in Anatomia sua, Lib.* 3. *Cap.* 14. qui hanc rem risu dignam pronuntiat, et BLASIVS, in *not.* ad VESLINGII *syntag. anatom. Cap.* 7. inquit: nihil tam rarum, quam vera superfoetatio, quam neque vnquam vidi, neque possibilem iudico. Negantes vero nullo satis ponderoso argumento negatiuam suam communiunt assertionem, sed tantum plerumque vulgatissimum illud fundamentum, ex HIPPOCRATE, *Aphor.* 5. *n.* 51. desumtum, allegant, vbi dicitur. Os vteri internum post conceptionem clausum esse, et quidem adeo, vt neque tenuissimi stili mucronem admittat, cui alii porro addunt, quod vterus semen conceptum arcte et sollicite in sua cauitate complectatur, ita, vt nullum in eo spatium reliquatur pro noua, vel alia conceptione. ANDR. LAVRENTIVS in *Anatom. Lib.* 8. *qu.* 22. superfoetationem quidem non negat, ast insimul fatetur, rationem huius rei multis difficultatibus implicitam esse. Pertinet et huc IAMES PARSON in *Philosoph. Transact. Suppl.* qui superfoetationem ideo esse impossibilem iudicat, quia tuba Fallopiana in grauida rectam haberet figuram, quae hinc ouarium comprehendere non posset. Inter illos, qui partes affirmantium tuentur, et existentiam superfoetationis admittunt, est HIPPOCRATES,

Lib.

Lib. de superfoetatione, it. ARISTOTELES, *Lib. 4. de generatione animalium, Cap. 5. et 7.* PLINIVS, *histor. natural. Lib. 7. Cap. 11.* FERNELIVS, in *Physiologia*, *lib. 7. Cap. 12.* SYLVATICVS, in *Controuersiis medicis, no. 81.* ROVSETVS, *de partu caesareo.* PARAEVS, in *obs. Lib. 23. Cas. 52.* FONTANVS, in *Epistol. ad Vesalium*, SALMVTHVS, *Cent. 3. obs. 33.* PLATERVS, in *Praxi, Tom. 3. p. 514.* HARVAEVS, *de generatione animalium*, KERCKRINGIVS, in *Spicilegio anatomico*, vt alios taceam, allegatos a *L. B. de Franckenau*, in sua *dissertatione de superfoet.* § 5. Et si placet, euoluantur SCHENCKII *obs. Lib. 4. p. 560.* vbi reperitur stupendum superfoetationis exemplum, quod contigit in Ducatus Würtembergici vrbe Binnicheim. Plura exempla, non ab antiquis, sed recentioribus obseruata, v. g. BLANCKARDO, BARTHOLINO, RVYSCHIO, reperiuntur in FRANCKENAVII cit. *dissert.* §. 8. nec non in Diss. Cel. GRAVELS cit. Maxime notabile exemplum, superfoetationem comprobans, recenset quoque Cel. EISENMANN. libr. cit.

3. Qu. *Quomodo fieri possit superfoetatio?*

Variae quidem a diuersis Autoribus superfoetationis allegantur causae, quam maxime vero cum veritate conuenit ea, quam adfert Cel. GRAVEL *in Diss. cit.* Nimirum superfoetatio vera tantum contingere potest in iis, quae 1.) habent vterum duplicem seu veluti bicornem; 2.) quae habent vterum bifidum seu bipartitum, id est, quarum vterus mediante septo in duas est diuisus cauitates. Modum quomodo in eiusmodi feminis, quarum vterus talem habet conformationem extraordinariam, fieri possit superfoetatio, laudatus Autor ita quoad conceptionem describit: *Conceptum quod attinet: simulac virile semen proliferum vteri duplicis vnum cornu ingressum est, ouulumque impraegnauit, ipsum istud ouulum vtero nectitur, sese expandit, os vicinum obtegit et perfectionis*

ctionis tempus expectat. Posito nunc post aliquot dies, septimanas, menses coniuges istos nouum celebrare concubitum, eumque foecundum, cur non idem circa alterum vteri cornu vacuum, apertum, fieri possit, non video: praesertim cum vnicuique cornu respondeat suum orificium, Tuba, ouarium. Pari ratione id contingit cum vteri bifidi cauitatibus binis: nec enim illud, quod vno tantum orificio sit praeditus, impedit.

4. Qu. *Quo tempore plerumque fieri soleat superfoetatio?*

Plerique Medici, v. g. SPERLINGIVS, *de formatione foetus p. 79.* BAVHINVS, *ad Rousettum,* superfoetationem fieri posse statuunt intra 30. primos conceptionis dies, licet PAVLVS, ICtus, *L. 3. ff. si pars haereditatis petatur,* superfoetatum foetum, post diem 40. editum, admittat, et GLOSSA, supra *L. cum quidam suum haeredem, ff. de acquirenda haereditate,* superfoetationem sine certo dierum numero fieri posse statuat, ideoque terminus superfoetationis hic ad 60. vsque dies prorogetur. Quibus adstipulantur et Medici, inter quos est KERCKRINGIVS, l. c. qui foetum vnum 8. alterum, siue superfoetatum, 4. mensium annotauit. Apud LAVRENTIVM, BAVHINVM, HERCVLEM SAXON. et THOM. BARTHOLINVM, *Cent. 4. Hist. 14.* varia quoque similia exempla reperiuntur, ne dicam de illa SCHENCKII supra citata obseruatione, in Ducatu Würtembergico, quae sane varia superfoetationis tempora innuit. Eiusmodi obseruationes ideo confirmant, naturam in opere eiusmodi extraordinario non attendere, vel obseruare statum dierum numerum, sed interdum anteponere, vel postponere illum posse. Interdum tamen prioribus septimanis, vbi foetus prior admodum exiguus adhuc est, superfoetationem promptius fieri posse, ratio docet. Quo diutius enim grauiditas durat, eo magis

moles foetus increſcit, vt hinc ab ipſo foetu facilius vel alterum vteri cornu, vel vacua matricis pars poſſit conprimi adeoque ſeminis introitus impediri.

Gloſſa, ſupra allegata, monet ſimul, quod attendenda ſit temporis diſtantia intra partum priorem et poſteriorem, et ex hac diſtantia, vel temporis interuallo, computare vult tempus ſuperfoetationis, ſicuti v. g. ex partu contemporaneo concluditur plerumque gemellos ſimul conceptos eſſe. Aſt hic concludendi modus fallax eſſe videtur, 1) quoniam, iuxta LAVRENTIVM, l. c. ſecundi conceptus raro ſint vitales. Nam locum ſuum non ſatis amplum in vtero inueniunt, nec debitum ac ſufficiens nutrimentum ſuperfoetati capiunt. Quod confirmat etiam exemplum Montbelgardenſe, vbi ſcriniarii vxor foetum viuum et incolumem primum edidit, verum, quatuor inde ſeptimanas poſt, alium, ſed mortuum, enixa eſt. Vid. FRANCII *Comment. in Zacch. Lib. I. Tit.* 3. *qu.* 3. *p.* 100. 2) Rariſſime partu tempeſtiuo, vel naturali, excluduntur, ſed plerumque ſub forma abortus abeunt, iuxta LAVRENTII et BARTHOLINI obſeruationes. 3) Vtplurimum eodem die cum foetu priori excluduntur, teſtante KERCKRINGIO.

5. Qu. *An dentur ſigna ſuperfoetationis certa?*

An in hoc vel illo ſubiecto ſuperfoetatio contigerit, difficillime, vel plane non diiudicatur, teſte MAVRICEO, egregio de morbis parturientium et grauidarum ſcriptore, *Lib. I. C.* 9. Et argumenta, quae ad demonſtrandam ſuperfoetationem ab aliis proponuntur, ſane non ſufficiunt. Nam 1) inferre volunt ex vtriusque partus diuerſo tempore: quod tamen argumentum non ſtringit, vi ſupra allegatorum. 2) Si foetus ſuperfoetatus cum priori ſimul excluditur, ex diſcrepantia magnitudinis ſuperfoetatum dignoſcere volunt:

ast magnitudo et perfectio diuersa etiam hic nihil probat. Nam vnus foetus in vtero materno a morbo debilitatus et labefactatus, ob deficientem nutritionem, exiguus manere potest. 3) Rationes decidendi desumunt quoque ex secundinis, & arbitrantur, quod gemelli vno inuolucro contineantur, superfoetati vero distinctis gaudeant secundinis. Ast hocce argumentum quoque per obseruationes refutatur. Nam gemelli rarissime in vna delitescunt secundina, sed plerumque duplici, confirmante hoc experientia quotidiana Scriptorum de partu, *oder der so genannten Hebammen-Bücher*. Plura, quae diagnosin superfoetationis concernunt, possunt videri in *Diss. cit.* Cel. GRAVELS.

CAP. XII.

DE MOLA.

Duplici de causa in foro Iuridico et Medico de mola quaestio oritur. 1) Si mulier de mola suspecta redditur, cui tamen cum viro coire non licitum fuit, et ideo de eius pudicitia et castitate dubitatur. 2) Quaeritur: an mulier, molam gerens, priuilegiis praegnantium gaudeat?

1. Qu. *Quid sit mola?*

Mola est vitium conceptionis, siue falsa et deprauata conceptio, vbi loco foetus veri massa informis concipitur et excluditur, et quidem modo sola, modo cum foetu coniuncta, modo mola ipsum foetum includit, et in centro suo fouet, quod quamuis rarissime contingat, obseruatum tamen fuit a KERCKRINGIO, in *Spicileg. anatom. Obs. 95.*

2. Qu. *Quid ſit cauſa molae?*

Haec quaeſtio ſane primaria eſt. Nam ita reſpondendum ſimul ad illam quaeſtionem, an nempe virgines et viduae caſtae, ſine viri cohabitatione, in vtero molam formare valeant? Quod vero attinet cauſam molae efficientem, non errabimus ſane, ſi, omiſſis et neglectis veterum nugis, et ventoſis theoriis, triplicem molae admittamus materiam. 1) Sanguinem vterinum. 2) Semen muliebre ſolum, et ſibi relictum, ſiue, quod idem eſt, ouulum. 3) Ouulum, ab aura ſeminali ſeminis virilis actuatum.

Sanguis quomodo ſine ouulo, vel ſemine muliebri, in molam abire poſſit, explicare quidem difficile, ſed non plane impoſſibile eſt. Ponamus enim, quod a ſemine maſculino non tantum ouulum foecundetur, ſed et vterus modo ſingulari ad foetus nutritionem praeparetur, id quod extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, et ex ſingulari vteri ſenſu poſt coitum confirmatur. Poſſumus itaque ſtatuere, quod in congreſſu ſemen emiſſum intacto ouario agat tantummodo in vterum, eumque eo vsque foecundet, vt ſanguis eius, nutritioni foetus alias deſtinatus, in molem indigeſtam coaguletur et coeat.

Porro ſanguis ipſe, in vtero contentus, et forte ad cauitatem vteri exſtillans, ſine omni concurſu ſeminis virilis, in talem maſſam informem concreſcere poteſt. Talis mola e.g. generatur in caſtis, virginibus et viduis. Sanguis enim omnis, inprimis vteri, fluidum eſt facile coagulabile, et natura fibroſum, atque facile grumeſcens, et quemadmodum in aliis partibus ſanguis extrauaſatus mutatur in tumores duros et chronicos, polypum, ſarcoma, ſcirrhum, ſteatoma, ita multo magis in vtero talis concretio ſanguinis poſſibilis atque probabilis eſt, inprimis cum ſanguis menſtruus quam frequentiſſime fruſtulatim in plerisque ſubiectis euacuetur, quo diſpoſitio ad coagulationem prona indicatur.

Semen

Semen muliebre, ſibi relictum, an vnquam in molam commutari queat, dubitant Autores diuerſi. Interim de La COVRVE, *Libr. de nutritione foetus, P. III. C. 4.* et LAMSWERDIVS, *Tr. de molis, Cap. X.* hoc non abſolute negant, dum aliqualem actiuitatem, quamuis inſufficientem, ſemini foeminino concedunt. Et cum obſeruemus in pennatis, inprimis gallinis, quod oua excludant ſine galli concurſu, quae tamen in pullos nunquam mutantur, quare dubitamus, quod in mulieribus virginibus atque viduis ſanis atque ſuo modo voluptuoſis ouulum, ad maturitatem euectum, poſſit ab ovario ſeparari, a tubis Fallopianis exceptum, ad vteri cauitatem duci, ibique maturari, mutarique, non quidem in foetum, ſed in maſſam informem, hoc eſt, molam.

Ouulum, ſiue genituram, aut ſemen muliebre, a virili ſemine impraegnatum, multo frequentius in molam verti poſſe, vix probatione indiget. Fieri tamen hoc videtur 1) a defectu ſtaminum ouuli, hoc eſt, particularum minimarum, machinam corpoream conſtituentium. 2) A defectu et inertia particularum actiuarum ſeminis virilis, quas ſiue ſalutes partes organiſantes, ſiue digrentes, perinde mihi eſt. Nam ſtamina, ouulo inſita, non conuenienter ad ordinem legum oeconomiae animalis actiuantur, vivificantur, commouentur & expanduntur. Ergo non diſtincta organiſatio, ſed magis maſſa informis oritur. 3) Mola oritur, quando ſtamina viſcerum, eorumque membranulae, ab impetu aurae ſeminalis dilacerantur, vel a colore exceſſiuo vteri, nimiumque fouente, deſtruuntur. Huius theoriae veritatem probant obſeruationes in ouis gallinarum, in quibus vtpote ſuppono, quod haud ſecus ſit organiſatio, partiumque conformatio, quam in ouis humanis impraegnatis. Quando vero ouorum gallinae ſtamina inuiſibilia, membranaeque ſubtiles et pellucidae, vel a calore aeſtiuo exceſſiuo, vel a coelo tonante, vel ab alio motu et agitatione extrinſeca, rumpuntur, tunc mutantur oua in liquamen putridum, maſſamque informem.

mem. Simili itaque modo rumpuntur ſtamina, ouuli humani, vel a cauſis ſupra dictis, vel ab affluxu humorum acriorum, qui cum liquoribus ouuli miſcentur, vel ab alia cauſa conceptionem turbante, quae reuera variae ſunt, et hic enumerari vix poſſunt.

Hiſce praemiſſis apparet, molam quidem generari poſſe absque viri cohabitatione, in viduis et virginibus caſtis, rariſſime tamen, et ſi generatur, generatur informis, imo absque omni vitalitatis ſigno. Hoc probant monumenta diuerſorum ſcriptorum. Si in viduis 60. et 70. annorum (in quarum amplexus viri non facile feruntur, quoniam vix amplius amabiles ſunt) obſeruauit molas RHODIVS, *Cent.* 3. *Obſ.* 53. quarum vna iureiurando confirmauit, octo et decem annis nulla ſe viri conſuetudine vſam fuiſſe. Similes hiſtoriae proſtant in MARCELL. DONAT. *Hiſtor. mirabil. L.* 4. *C.* 25. DODONAEI *Obſ. C.* 49. In virginibus molas obſeruauit HORSTIVS, *L.* 5. *Obſ.* 39. STAL PARD van der WEIL, *Cent. I. Obſ. rarior.* 32. FRIDER. HOFFMANNI diſſert. *ignorat. vteri ſtructur. multor. in medicin. error. cauſſa* §. 18. 19.

3. Qu. *An dentur differentiae molarum?*

Vtique, et ſane non exiguae, ſed multifariae, quae etiam in foro Iuridico probe ſunt attendendae. Et quidem 1) dantur *molae aquoſae*, ad inſtar veſicae aqua repletae, quae reuera ſpeciem hydropis, et quidem vteri, conſtituunt. 2) Dantur *molae veſiculares*, quales in tribus perſonis obſeruaui. Nempe mulieres ſe grauidas eſſe putarunt, verum tertio, vel quarto geſtationis menſe cum doloribus partus et ſanguis enormi profuſione excluſerunt molam pugnae magnitudinis, et vltra, cuius ſubſtantia extus et intus placentulam vteri referebat, hoc eſt, vaſculoſa, carnoſa et tunicata erat, hac diſſecta, aqua mundificata et elutriata, in conſpectum veniebant hydatides, ſiue veſiculae aquoſae diuerſae magnitudinis, aliae ad

inſtar

inſtar granorum milii, aliae lenticulares, aut piſiformes, aliae oblongae, ouulis formicarum ſimiles. Eiusmodi molas obſeruauit quondam TVLPIVS, *L.* 3. *Obſ.* 32. LOSSIVS, *L.* 4. *Obſ.* 16. STALPART van der WIEL, *Cent. I. Obſ.* 70. 3) Dantur *molae carnoſae* et *vaſculoſae*, verae dictae, vel ſolidioris, vel laxioris ſubſtantiae ad inſtar ſanguinis congrumati, et membrana inuoluti. KERCKRINGIVS, in *Spicilegio anatomico*, et RVYSCHIVS, in *obſ.* putant, eiusmodi molas eſſe placentas, aut earum partes, quae vel poſt abortum, vel partum legitimum in vtero relictae, a compreſſione vteri ſubſidentis, eiusmodi faciem acquirant. 4) Reperiuntur *molae diſſimulares*, ex membranis, pinguedine, glandulis, vaſculisque ſanguiferis, veſiculis aqueis, compoſitae. 5) Obſeruantur interdum *molae* carnoſo-membranoſae, *flatu turgidae*, ſiue *ventoſae*, qualem in virgine, caſu ab alto laeſa, obſeruauit TH. BARTHOLINVS, *Cent. I. obſ.* 97. it. BOHNIVS tales bis obſeruauit, quemadmodum teſtatur in *Colleg. M. S. de morbis mulierum.* 6) Dantur carnoſae figuratae, certam figuram determinatam alicuius rei repraeſentantes, v. g. iuxta PLATERVM, in *Praxi, T.* 3. *p.* 898. ſtellae marinae, vel, annotante BARTHOLINO, *Cent.* 4. *hiſt.* 84. capitis ouilli, dentibus, pilis, ac oculis inſtructi, vel, iuxta FORESTVM, *L.* 28. *Obſ.* 62. *et* 68. capitis accipitris roſtrati, vel, iuxta HORSTIVM, *L.* 5. *Obſ.* 39. mola murem referens, vel, iuxta SALMVTHI Obſeruationem *Cent.* 3. *obſ.* 98. mola, piſcem referens viuentem, quae hiſtoria, vtpote notabilis, ita ſe habet: ciuis ſerueſtini vxor die 29. Mart. abortum fecit, hinc tertio die molam excluſit, et rurſus die 5. April. noctu maſſam carneam palmae longitudinis et latitudinis, viuentem, prodidit, os latum erat ad inſtar piſcis absque cauitate, aderant duo nigra puncta ad inſtar oculorum, haec maſſa, in terram prolapſa, palpitauit, ad inſtar piſcis, ſpatio vero trium horarum motus ceſſauit. Plures eiusmodi obſeruationes apud Autores reperiuntur. Quemadmodum itaque non credendum, eiusmodi molam animatam eſſe, ita conſideratur

a Phy-

a Phyſicis et Medicis vt ZOOPHYTON, quod haud diu in tali ſtatu permanere poteſt, ſed breui tempore perit. Ex his iam dictis concludere licet, quod figuratae praeſupponant certe praeuium congreſſum, non figuratae vero, informes, et motu non praeditae, generari poſſint absque omni impraegnatione, tantum a vitio et praeternaturali ſtatu vteri, in viduis atque virginibus.

4. Qu. *Quaenam ſint ſigna, quae molae praeſentiam indicant?*

Signa molae dignoſtica vix primis menſibus differunt a ſignis impraegnationis verae, ideoque hoc in paſſu falluntur interdum peritiſſimi Medici. Id quod confirmat hiſtoria GRADI, in propria vxore decepti. Vid. FORESTVM *Lib.* 28. *obſ.* 62. Inprimis non differunt ſigna, quando mola coniuncta cum foetu exiſtit. Quando vero ſola adeſt tumor ventris, admodum durus, reperitur, et minus tractabilis, abdominis tenſio maior abeſt, quam in reuera grauidis, quare etiam abdomen a compreſſione dolet, et in pubis regione pondus immobile obſeruatur, moles vteri quoque de latere in latus voluitur. Circa dimidium geſtationis tempus nullus motus, motibus foetus ſimilis, percipitur. Mater, molam geſtans, languida redditur, et vel in cachexiam, vel in tabam incidit, ac demum vix ſigna partus naturalis ſeſe manifeſtant tempore, ex natura deſtinato. Caeterum experientia teſtatur, quod vltra quartum menſem in vtero non morentur, imo a nonnullis primo iam menſe eaedem quaſi periodice expelluntur.

5. Qu. *An mulier, molam gerens, priuilegiis gaudeat praegnantium?*

Quod hanc quaeſtionem attinet, ZACCHIAS, in *Q. M. L. lib. I. tit.* 3. *Q.* 7. *n.* 7. et, cum eo, Cel. PETR. MVLLERVS,

RVS, *ICtus noſter, diſſ. de Iur. praegnant. Cap.* 4. *Th. ult.* diſtinguit inter molam ſolam, et inter molam cum foetu iunctam. Si mulier ſolam molam absque foetu in vtero gerit, non gaudet illis priuilegiis. Nam leges non reſpiciunt ad moleſtias, quas ſentiunt grauidae, durante geſtatione, ſed foetus magis miſerationem habent. Cum vero arduum ſit in abſtruſo generationis negotio determinare, an mola ſola adſit, an cum foetu coniuncta, ideo tutius, noſtro iudicio, ICti molaticis tribuunt priuilegia praegnantium, dum foetum, pro mola habitum, iuribus ſuis ita non priuant, inprimis cum foetus aliquando in centro molae deliteſcit, ſicuti hoc obſeruauit KERCKRINGIVS, *Spicileg. anatom. Obſ.* 95. Quid denique ſtatuendum ſit de baptiſmo molarum, illud ſequentia docebunt. Si enim hocce ſacramentum monſtris non tribuitur, multo minus molis conceditur, vtpote rebus, a ſpecie humana maxime alienis.

CAP. XIII.

DE MONSTRIS.

Non vno ex capite de monſtris agitur in foro Iuridico et Theologico, et quidem 1) quando quaeritur de haereditate, an monſtrum rumpat teſtamentum? an filius, aut filia dici mereatur? an gaudeat priuilegiis, quae alias ex filiatione fluunt? *iuxta legem: quoad certatum eſt, in fin. C. de Poſthum. haered. inſtituend. L.* 14. *ff. de Statu hominum L.* 135. *ff. de verborum ſignificatione.* 2) Vbi de redhibitionibus agitur, et quidem ob monſtroſitatem, in *ff. de aedilitio edicto.* 3) Quando de ſodomitico hominis cum bruto congreſſu quaeſtio eſt. 4) Quando a Theologis quaeritur, an monſtrum ſit baptiſmi

capax? 5) An foetus talis monſtroſus pro mari, aut foemella baptizari debeat? 6) An bicorporea monſtra duo ſint homines, adeoque ſemel, vel bis baptizanda, et an, ut duo, in haereditate ſuccedant? 7) An monſtrum ſit interficiendum? iuxta *L.* 18. *a Romulo datam*, non obſtante *L. Cornelia*, imo an monſtra in flumina ſint demergenda? iuxta *Commentar.* GODOFRED. *ad L.* 135. *ff. de verborum ſignificatione,* WEINREICHIVM, *de monſtris*, *Cap.*14. *Alphoſ. de* CARANZA, de partu naturali et legitimo. 8) An alimenta a patre monſtris debeantur? ex Tit. *ff. de alendis et agnoſcendis liberis.*

I. Qu. *Quid ſit monſtrum, quid portentum, vel oſtentum?*

Monſtri, oſtenti, portenti et prodigii variae quidem proſtant apud Autores definitiones, de quibus legi meretur ZACCHIAS, *Lib.* 7. *Tit. I. qu.* 1. interim tamen nobis placet Cel. LVDOVICI, Hall. in *Vſu practico diſtinction. Iur. p.* 23. verba, quae ita ſeſe habent: *monſtrum* dicitur, cui caput humanum deeſt. Nam intellectus in capite eſſe praeſumitur. Haec ſententia ab omnibus, vt vera, agnoſcitur. Anima enim in cerebro operationes ſuas exercet, et a cerebri laeſione rationis vſus turbatur, id quod deliria confirmant. Eſt itaque monſtrum, cui caput humanum deeſt. Hic defectus duplici modo a nonnullis ſumitur, 1) quando excluduntur ſiue naſcuntur monſtra ſine capite, qualia exempla proſtant in IOH. HELLWIG. *M. D. Obſ. Phyſ. Med.* cum *Scholiis Cel.* LVC. SCHROECKII *Iun. Obſ.* 1. vbi Celeb. Autor ſcite iudicat, non probabile eſſe, cerebrum in pectore extare, et ideo merito reprehendit illos, qui tale monſtrum ab aliis minus recte *infantem acephalum* dictum, ac in apice trunci per foramen quoddam ſpirans, baptizarunt. Sacramentum enim hocce ſolis hominibus tribuendum, non vero monſtris, et inprimis ſine capite natis, quod ſane ſine ſcandalo fieri

non

non poteſt. Porro monſtrum acephalum dici poteſt ſuo modo, cuius caput belluinam, vel beſtialem faciem repraeſentat. Nam a facie humana concludere licet ad ſtatum cerebri homini proprium, vel improprium, ergo ad praeſentiam, vel abſentiam animae rationalis. Sed quoniam exiſtentia animae rationalis, quae humanam formam dat, ex actionibus recens natorum haberi non poteſt, ideo eiusmodi monſtrum quidem non interficiendum, nec tamen noſtro iudicio ſtatim baptizandum. Dubia enim hic res manet tam diu, donec tractu temporis per ſigna euidentia humanitas magis appareat. Nam in monſtrorum conformatione non errat anima rationalis, ſed anima brutorum potius, ſenſitiua dicta, ſiue quod idem eſt, principium vitae. Monſtra enim in brutis etiam formantur, teſte quotidiana experientia.

Oſtentum, portentumque dicitur, iuxta ſupra citatum LVDOVICI, illud, in quo natura membra humana mutauit, ampliauit, vel imminuit, vel cuius membra, capite excepto, a forma debita et congrua recedunt, v. g. quando digiti, manus et pedes, vel deficiunt, vel brutorum membra repraeſentant. Sic conſeruo monſtrum exiguum humanum digiti longitudinis, quod caput quidem humanum gerit, inteſtina vero non in abdomine, ſed extra illud in tenui pellucidaque veſica continentur, ſexum habet indiſtinctum, brachia deficiunt, et eorum locum organa, alas deplumatas (*einem abgerauſſten Tauben-Flügel gleich*) repraeſentantia, ſupplent, pedes irregulariter contorquentur, vno verbo, totum corpus irregulare eſt, capite tantummodo excepto.

2. Qu. *Quomodo diuiduntur monſtra?*

Diuiſiones monſtrorum variae dantur ab Autoribus, v. g. a RODERICO a CASTRO, de *morbis mulierum*, *P. I. Lib.* 3. *cap. I.* BAVHINO, *de Hermaphrodit. Lib. I. Cap.* 15. LICETO, *de monſtris*, *Lib. I.* WEINREICHIO, etc. vbi diſtin-

guuntur moſtra 1) in illa, quae totum corpus mutant, 2) quae vnam alteramue partem tantummodo mutatam habent.

Monſtra, totam ſpeciem mutantia, ac bruta repraeſentantia, an vnquam extiterint, merito dubitamus, et magis hiſtorias illas ad fabulas et figmenta referre volumus, vbi aſſeritur, quod homines ex brutis, bruta et beſtiae integrae, vt canes, vituli, etc. ex hominibus nati fuerint. Extant tales hiſtoriolae inter alia in Cl. SCHVRIGII, M. D. nuper edita *ſpermatologia*, *p. m.* 209. *vsque ad* 215. verum, p. 219. eruditus Autor proprium ſuum annectit iudicium, quod nempe hactenus ab eo recenſita exempla fidem vix mereantur, et potius pro fictis habenda ſint. Nam cum ouum, docente HARVAEO, non aliunde procedat, quam a foemina, ac in illo totius corporis humani compendium iam ante conceptionem contineatur, non poteſt aliud animal ex illo ouo produci, quam quod in eo delineatum eſt, etiamſi (poſito, non conceſſo) aſperſione peregrini ſeminis maſculini irroretur et viuificetur, quia ſeminis maſculini particulae ſpirituoſae, iuxta communem ſapientiorum Philoſophorum, et ipſius HARVAEI, ſententiam, ſolummodo ſtamina oui rore foecunditatis imbuunt, eaque primum actuando primitiuum vitae motum afferunt, et non de nouo particulas, in ouo delineatas, peregrinis figuris deſcribunt. Hinc generationes hominum ex vaccis, aut equabus, vel aſinabus, item generationes canis et vituli ex hominibus, etc. fabulas ſane ſapiunt.

Secundum partes monſtra humana ſpeciem mutant, quando gerunt v. g. caput bouis, vituli, canis, elephantis, qualia exempla in ſuperſtitioſi Patris SCHOTTI *Phyſica Curioſa*, aere expreſſa, repraeſentantur. Vel quando faciem repraeſentant ranae, ſimiae, ſuis. Vel quando cornua gerunt, aut vittas, (*Fontangues*) Vel quando, loco naſi proboſcis elephantis adeſt. Vel quando adſunt aures aſininae, oculi item diuerſimode defoedati, qualia exempla apud iam citatum

tum SCHOTTVM, *Lib.* 5. proſtant. Vel quando caput humanum adeſt, reliquum vero corpus totum monſtroſum. Vid. SCHOTT. *loc. cit.* et PARAEVM, *Lib.* 24. *obſ.* Vel ſi homo, bubulneis, equinis, anſerinis, raninis, aliisue pedibus, vel vngulis animalium volatilium defoedatus, excluditur. Vel ſi alatus eſt, aut caudatus, foetus. Vid. SCHOTT. Et poſterioris conditionis mihi exemplum notum eſt.

Monſtra ſine ſpeciei mutatione ſunt, quorum membrorum conformatio turbatur vel ſecundum ſitum, vel quantitatem, vel numerum, vel figuram. Quoad *ſitum* monſtrum eſt, quando v. g. oculi in pectore deprehenduntur, vel brachium in ceruice, aut circa coſtas ſpurias, qualia exempla SCHOTTVS, l. c. recenſet. Secundum *quantitatem* aberrat natura, quando manus, aut pedes, aut caput, et organa in capite vel nimium ſunt exigua, vel nimium excedentia. Secundum *numerum* error committitur, quando vel imminuuntur numeri organorum, v. g. quando omnes digiti in vnum coaleſcunt, vel augmentantur, h. e. quando ſex, vel plures digiti in vna manu conſpiciuntur, quo pertinent et monorchides, et triorchides, item huc referri debent monſtra bicorporea. Legi meretur Cel. ETMVLLERI, Fil. *diſſ. de monſtro hungarico bicorporeo*, vel quando in vno foetus corpore quatuor brachia vel quatuor pedes deprehenduntur, vel quando duo capita, vel plura obſeruantur. Vid. SCHOTT. l. c. vbi monſtrum biceps et ſepticeps reperitur, aere expreſſum, item HELLWIG. *Obſ. num.* 16. WELSCHIVM, *Obſ. phyſico-medic. num.* 46. aliosue.

Secundum *figuram* monſtrum dicitur, quando organon, alias rectum, incuruatum deprehenditur, vel quando organon quod alias ſitum perpendicularem naturaliter poſſidet, horizontaliter, vel plane inuerſo modo poſitum reperitur. Vid. FRIED. HOFFMANN. Hallenſ. Patris, Cel. ibi viuentis Prof. et Conſil. Aulici, Tractatum *de cordis inuerſione.*

3. Qu. *Quid sit caussa monstrorum?*

Caussa monstrorum iuxta Autores varia esse solet. Prima tribuitur *imaginationi*, impressioni et phantasiae peruersae ac forti, vel in vigiliis, vel in somno parentum, praesertim autem tempore veneris conceptus contingenti. Quantus enim phantasia praegnantium in peregrinis foetui inprimendis formis obtineat vires, millenis obseruationibus fere Physicis et Medicis innotuit, ita, vt omnium monstrosorum foetuum effectricem caussam nominare aliqui non dubitauerint. Sic ab intuitu leporis excoriati talem infantem peperit *Kunigunda* apud HELLWIGIVM, *obs.* 5. item ab intuitu imaginis IO. BAPTISTAE foemina exclusit filium hirsutum. Vid. MARCELL. DONATVM, *Hist. mirabil. Lib.* 2. *Cap. I.* Similis historia etiam reperitur apud BARTHOLINVM, in *obs. lib.* 5. *hist.* 28. vbi ab intuitu vrsi foemina etiam exclusit infantem hirsutum. Infantes vero, labiis leporinis defoedati, vim imaginationis in grauidis toto die confirmant, quam ipse FORTVNATVS LICETVS, *de monstris*, *Lib.* 2. *Cap.* 42. pro vera monstrorum agnoscit caussa. Quomodo vero agat vis imaginationis matris in foetum, ita nobis concipimus. Nempe in omni perceptione fieri debet compulsio neruorum ab obiecto, ex qua in neruis motus tremulus oritur, qui fortissimus est, in terribili insolitaque idea, percepta a femina inprimis debilioris iudicii. Hic motus neruorum vehemens, per neruos placentae vteri ac funiculi vmbilicalis foetus, continuatus ad foetum vsque, in molli eius corpore, aut plane tubulorum praestat dilacerationem, aut indecentem dispositionem et locationem partium formandarum, et ita inconueniens, irregularis et monstrosa oritur partium corporis increscentia. Vim imaginationis praegnantium confirmant porro obseruationes HORSTII, *tom.* I. *de similitudine et dissim. natorum. tom.* 2. *de morbis mulier.* MARCELL. DONATI *histor. mirab.* DEVSINGIVS, *de foetu Mussipontan.*

DIGBEVS,

DIGBEVS, *de pulv. ſymp.* HILDANI, *obſ. Cent.* 3. *n.* 56. *et Cent.* 5. *n.* 5. SCHOOKIVS, *de ſignaturis foetus.* SACHSIVS, *ampelograph. Lib.* 2. *ſect.* 5. *Cap. I.* REIES, *in Camp. Elyſ. quaeſt curioſ.* 45. *et* 50. Secunda cauſſa originis monſtrorum, iuxta nonnullorum placita, *Diabolo* tribuitur. Statuunt enim, diabolum, vt incubum, poſſe generare monſtra. Ad confirmandam aſſertionem hancce praeſupponunt 1) Diabolum, vt ſpiritum, habere abſolutam potentiam in corpora, ſiue in materiam paſſiuam, quod tamen falſum eſt, quemadmodum hoc demonſtrauit Cel. HOFFMANN, in ſua egregia diſſ. *de potentia Diaboli in corpora.* 2) Ex aëre et reliquis elementis Diabolum poſſe formare corpus humano ſimile, vel 3) poſſe corpora mortuorum vtriusque ſexus recipere, putredinem in illis extinguere, ea calore fouere, et vel in incubos, vel ſuccubos transmutare. 4) Putant, poſſe diabolum ſemen maſculinum, ſuccubis immiſſum, recipere, celeri motu, eodem tempore per aërem transferre, atque per incubos iterum adplicare, ex quo ſemine quidem fieri poſſit impraegnatio, quae non a Diabolo, ſed tantummodo per Diabolum contingat, ex qua generatione difformes, monſtroſi, et horrendi partus orirentur, vulgo *Elben, gute Kinder,* et Vagiones, *Wechſel-Bælge, etc.* Vid. D. D. SIMON, quondam Ienenſ. poſtea Hallenſ. Prof. Tract. *de impotentia coniugali, Cap.* 5. *Th.* 2. et qui plura deſiderat, euoluat DELRIO, *Diſquiſit. magic.* TORREBLANC. de *Magia,* WIERVM, *de praeſtigiis Daemonum,* WESTPHAL. *Patholog. daemonicam,* BODINI *Daemonomaniam,* aliosue. Sed argumenta ſupra dicta debili ſtant fundamento, dum varia praeſupponunt, quae tamen contra omnem rationem militant. Et poſito, quod poſſit applicare Diabolus ſemen, ſuccubis immiſſum, (ſi modo exiſtant,) tamen eius energia, quae in ſale volatili, facile euaporabili, conſiſtit, in momento exſpirat, hincque ad generationem tale ſemen plane inutile eſt. Recentiores ideo Philoſophi dudum pleraque, et nimis ſuperſtitioſa abſurdaque

que placita veterum de magia deridere et rationibus deſtruere inceperunt, quo pertinet BECKER, in ſeiner *bezauberten Welt*, Celeb. THOMAS. *de Crimin. Magiae*, KLEINS *Vnterſuchung des Bekäntnüſſes der Hexen von dem Beyſchlaff des Teufels*, WEBSTERS *Vnterſuchung der vermeinten und ſo genannten Hexerey*, *nebſt einer Vorrede des vortreflichen* Hrn. THOMASII, Abbatis BOVRDELOTS, Medici primar. Reg. Galliae, *Abentheurliche Einbildung des* Monſ. Aufle, vel Le Fau, cuius frater, Mons. Non Credo, quam plurima placita veterum de magia deridet, et ſolide refutat.

Tertiam monſtrorum cauſſam tribuunt congreſſibus ſodomiticis hominum cum brutis, qualia exempla varia ab Autoribus adducuntur. Sed et talis congreſſus valde dubius videtur ex hac ratione 1) quia animalia, ob differentem cum homine conformationem, ſeſe ad congreſſum haud facile applicant, et 2) ex eiusmodi congreſſu poſſe fieri generationem, credibile vix eſt, cum vis actiua ſeminis maſculini non deprehendat aptam materiam paſſiuam, in quam agere poſſit.

Quarta monſtrorum cauſſa, iuxta ZACCHIAM, *Lib.* 7. *Tit. I. qu.* 1. *num.* 5. item et alios, Deum eſſe aliquando, non vero ſemper, defendunt. Aſt tutius eſt, hoc negare, et potius affirmare, quod omnis monſtrorum prouentus caſu tantummodo fiat. Deus enim, vt ens perfectiſſimum, omnia quoque in ſumma perfectione creauit, hincque ſtamina monſtroſa nunquam in ouulo exiſtunt, ſed poſt conceptionem caſu ita formantur. Huc pertinent illi, qui ex praeſtabilita harmonia, vel a ſiderum quoque influxu monſtrorum originem deriuant. Non video enim rationes, quibus mediantibus eiusmodi theorias adſtruere et ſtabilire poſſint.

Nec 5) cum veteribus ad ſeminis virilis vbertatem refugiendum eſt: nititur enim haec ſententia falſa PARACELSISTICORVM hypotheſi, quaſi a membris ſingulis patris, quic-

quicquid a nutritione ſuperfluum eſt, ad ſemen conſtituendum confflueret, adeoque ſimul, dum conflueret, monſtra generarentur, membrorum pluralitate inſignia. Qui vermiculos in ſemine virili, cum LEEWENHOEKIO, defendunt, inſimul ſtatuere debent, eorum monſtroſitatem ante conceptionem, et ita tacite Deum pro cauſſa monſtrorum quoque admittere.

6) Maiori iure ſemen maternum accuſandum. Hoc enim ouulum eſt, et ſtamina ac rudimenta, omnia futuri foetus delineata in ſe continet. Haec ſtamina, in ſe inertia, ſpiritu ſeminis virilis plaſtico actuantur et commouentur, et ita ipſa vita inchoatur. Quando vero motus aurae ſeminalis inconueniens eſt, fit, vt organa vel non conuenienter expandantur, vel a motu irregulari aurae ſeminalis dislocentur, vel plane dilacerentur, et ſic annihilentur, qualia exempla de brachiis dislocatis reperiuntur in SCHOTTI *phyſica*, *Lib.* 5. *Cap.* 7. quam et theoriam confirmat Hiſtrio, ſine manibus ac pedibus natus, qui praeſtigias ſuas in variis Europae vrbibus, magna cum ſpectantium et noſtra propria admiratione, perfecit.

7) In monſtri generatione concurrere videtur ipſe vterus, qui vel nimium natura anguſtatur, et ita in conuenientes dimenſiones durante geſtatione non extenditur, vel nimium ampliatur, et ita irregularem conformationem increſcenti foetui imprimit, quo pertinet ſuo modo ipſa vteri ſcirrhoſitas, aliaque vitia ſimilia, conformatio naturalis ſ. luſus naturae, vis naturae plaſtica.

4. Qu. *An monſtra ſint vitalia?*

Plerumque monſtra, inprimis difformia, per abortum excluduntur. Ob organorum enim prauam conformationem diu oeconomiam propriam in vtero ſartam tectam conſeruare haud poſſunt, id quod confirmat propria noſtra ob-

ſeruatio foetus monſtroſi trium circiter menſium, quem adhuc conſeruo. Porro, propter irregularem foetus monſtroſi conformationem, partus fit difficilis, et ideo tale monſtrum neque vires ſuas debitas in partu exercere poteſt, neque per pudenda muliebria matris viam ſibi parare et inuenire, vnde plerumque ante partum pereunt. Interim tamen dantur monſtra vitalia, vt homo monſtroſus Italus 27. annorum, qui fratrem ſuum ſub ſterno ex corpore ſuo pendentem in faſcia geſtabat. Vide HELLWIGII *obſ. num.* 16. Cel. ETMVLLERI, *filii*, *diſſertationem de monſtro hungarico bicorporeo*, quod iam per 6. annos vixit, in qua diſſertatione plures aliae hiſtoriae huius commatis reperiuntur.

5. Qu. *Quaenam monſtra anima rationali praedita ſint dicenda, quae vero non?*

Haec quaeſtio maximi eſt momenti, et ſub ſe comprehendit alias quaeſtiones, nempe an tale monſtrum ſit baptizandum, nec ne? an rumpat teſtamentum? an occidendum, et in ſterquilinia abiiciendum, vel in flumina demergendum? Res vero decidenda ex ſententia Phyſicorum de ſede animae. Veteres cor, vtpote fontem et principium natiui caloris, pro animae ſede et officina agnoſcebant. Aſt recentiores omnes cerebrum metropolim animae eſſe ſtatuunt. Et merito quidem. Nam a cerebro, et huius fluido neruoſo dependent omnes actiones, imo ipſe cordis motus, dum cor ſuas operationes absque fluido neruoſo perficere non poteſt, vi experimenti LOWERIANI, in *tract. de corde*, vbi abſciſſis, vel ligatis neruis cordis ſtatim interit omnis cordis operatio, et, quod maximum, omnis affectuum ſedes in capite exiſtit, omniumque operationum mentis ibi eſt habitatio. Ergo caput ſedes animae habetur, conſentiente etiam ZACCHIA, *l. c. q.* 5. et FORTVNATO FIDELI, inprimis vero CARTESIO, *Lib. de paſſione animae*. Hiſce itaque praeſuppoſitis

positis sequitur, quod 1) monstrum acephalon neque sit baptizandum, neque pro infante in testamento et successione admittendum. 2) Monstrum, quod figuram humanam non retinet, animam rationalem habere non praesumitur, vt BALDVS, *ICtus*, *in L. 2. in princ. C. de posth. haered. instituend.* CARRANZA, *de partu humano, Cap.* 17. *n.* 25. Humanitas vero, siue τὸ humanum esse, maxime desumitur a facie, consentientibus ICtis, iam allegatis, et ipso ZACCHIA, item a voce humana, vbi videndum, an vocem humanam tale monstrum ediderit. Quis ideo tam absurdus est, qui foetum humanum, belluino capite instructum, ranino scilicet, leporino, elephantino, suillo, canino, etc. pro homine agnoscere velit, qualia exempla in SCHOTTI *Physica, L. 6. c. 6.* reperiuntur. Quando vero caput humanum adest, in reliquis autem partibus aliqualis belluina monstrositas sese manifestat, tunc nihilominus humanitas adesse praesumitur, cum qua thesi consentit ecclesia catholica Romana, referente FORTVNAT. FIDEL. et ZACCHIA, ideoque etiam sacra ac vitali baptismatis aqua caput respergit, non vero pectus, in capite animam esse existimans. Quando vero vera animalia bruta, vt ranae, bufones, vermes, etc. ab hominibus excluduntur, illa absque omni dubio occidi posse ZACCHIAS statuit.

6. Qu. *Quid statuendum sit de monstro bicorporeo, an pro duobus, an vero vno homine baptizandum, et an, vt duplex homo, succedat in haereditate?*

In hoc casu attendendum, an corpus duplex, dupliciné regatur anima, an vero simplici, id quod ex actionibus apparet, inprimis capitis. Nam quia cerebrum est organon animae principale, etiam in capite differentes actiones apparere solent. Credendum ideo, quod corpus simplex mon-

ſtroſum, duplici capite inſtructum, duplex etiam ſit homo, et corpus duplex, hoc eſt, quatuor brachiis, totidemque pedibus inſtructum, ſimplici vero capite ornatum, ſit ſimplex homo. Magis vero probatur, quod monſtrum, duplici capite formatum, duplex homo ſit, ſi in duplici capite duplex affectus annotatus, in vno nempe triſtitia, in altero laetitia, item ſi duplex ſonus editur, ac vnum caput dormit, altero adhuc vigilante, vnum caput ridet, altero eiulante, etc. Vid. IO. ADAM RVDAMVS in *deſcriptione phyſiologica alicuius foetus monſtroſi*, Gedani 1724.

CAP. XIV.

DE HERMAPHRODITIS.

1. Qu. *Quid ſit hermaphroditus?*

Vox hermaphroditi ſignificat ſubiectum, cui vitioſa eſt organorum generationis conformatio, ita, vt vtriusque ſexus, maris et foeminae, genitalia adſint, vel adeſſe videantur.

2. Qu. *Quomodo diſtinguuntur hermaphroditi?*

Diſtinguuntur hermaphroditi commodiſſime 1) in illos, in quibus neuter ſexus perfectus eſt, h. e. qui neque ad generandum, neque ad concipiendum apti ſunt. De his AVSONIVS cecinit, *epigrammate* 98.

Concretus ſexus, ſed non perfectus vtroque
Ambiguae veneris neutro potiundus amore.

2. In

2. In illos, qui alterutrum ſaltim ſexum, rite conformatum, poſſident. Talis hermaphroditus maſculus, ſiue androgynus, maſcula generationis organa, perfecte conformata, oſtendit, in perinaeo tamen, vel etiam in pube rimam quandam, minime peruiam, ad formam vuluae efformatam, poſſidet, per quam neque ſemen, neque lotium emittit. Eiusmodi hermaphroditum obſeruauit anno 1676. in caſtris Brandenburgicis, ad Anclam locatis, CEL. CHRIST. MENZELIVS. Vid. *Miſc. N. C. Dec. I. anno* 8. *obſ.* 8. Hermaphroditus foemina vero, ſiue androgyna, praeter vuluam, naturaliter et recte conſtitutam, per quam quoque ſemen, ſiue potius glutinoſus liquor ex lacunis, vrina, item et menſes excernuntur, adhuc, vel circa os pectinis, carneam quandam et cutaneam, ſed imperforatam, habet ſubſtantiam, ad membri virilis ſimilitudinem, erectionis tamen, et profuſionis ſeminis impotentem, ſcrotoque et teſtibus carentem. Vel *clitoris*, in vulua exiſtens, ita increſcit, inprimis in ſalacioribus, vt mentulam virilem repraeſentet, imperforatam tamen. Hinc mulieres, tali clitoride enormi inſtructae, viri mentulam admittere haud poſſunt, nec volunt interdum, ſed potius cum aliis coire tentant. *Clitoris* enim ſuo modo cum mentula virili in ſtructura anatomica conuenit. Adſunt quippe et hic bina corpora neruoſa, ſenſibus voluptatis deſtinata, adeſt glans, corona, atque praeputium. Haec organa tamen natura admodum exigua ſunt, in ſalacioribus vero ad digiti longitudinem interdum extenduntur, cum notabili inſimul craſſitie, qui morbus *cercoſis* dicitur. Nymphae quoque in eiusmodi ſalacioribus increſcentes, dum ad latera clitoridis conſtitutae ſunt, teſtes quaſi repraeſentant. Hinc decipiuntur interdum optimi Medici, qui exactam partium harum ſtructuram ex anatomia non didicerunt.

Tertium hermaphroditorum genus conſtituunt illi, qui vtroque ſexu valent, mariſque et foeminae munera potenter obeunt, hincque vtriusque ſexus genitalia, omnibus numeris

ris atque conditionibus ad perfectum vſum et generationem neceſſariis completa et perfecta, gerunt, imo iuxta Autores, mammam dextram, mammae maris, ſiniſtram, mammae foeminae ſimilem, geſtant. Vid REIES, in *Camp. Elyſ. iucund. quaeſt.* 48. BAVHINVM, *de hermaphroditis, L. I. Cap.* 4. PARAEVM, in *Oper. Lib.* 24. *Cap.* 4. RODERIC. a CASTRO, *de natura mulierum, Lib.* 3. *Cap.* 12. De eiusmodi hermaphroditi exiſtentia *plures dubitant,* et nunquam in rerum natura tales exſtitiſſe, ſed mera figmenta eſſe arbitrantur. Interim tamen notabilis de tali hermaphrodito anno 1686. hiſtoria reperitur in IAC. MOLLERI *Tr. de hermaphroditis, Cap.* 2. *p.* 151. quae ita ſeſe habet. *Zu Leyden hat ſich ein ſeltzamer und wunderlicher Caſus zugetragen: Nehmlich eine Frau, die vor dieſem einen Mann, und zwey, oder drey Kinder darbey gehabt, und ſelbſt mit ihren Brüſten auch geſäuget hat, nach der Hand, da ihr Mann nach Oſt-Indien gefahren, iſt dieſe Frau ins Waiſen-Haus zu Leyden, als eine Zucht-Meiſterin über die Wæiſen-Mægdgens, beſtellet worden, da hat man wahr genommen, daſs von denen græſten und ælteſten Wæiſen-Mægdgens, von* 16. 17. *bis* 18. *Iahren alt, einige Zeithero, wohl drey, vier, oder mehr ſeyn ſchwanger worden. Die Mægdgens, nach gehaltener* Examination, *haben alle einmüthig bekannt, daſs dieſe Zucht-Meiſterin der Vater davon ſey. Die Frau, welche man examiniret und viſitiret, hat man befunden, daſs ſie ein* Hermaphrodit, *oder halb Mann und halb Frau iſt; welche auch bekannt, daſs ſie ſolches gethan, iſt darauf ins Spinn-Haus zu Leyden geſezt, und iſt ihr der Proceſs gemacht worden.* Sequentem obſeruationem de hermaphrodito, liberos pariente, inſuperque ancillam impraegnante, recenſet BLANCARDVS, *Collectan. med. phyſ. Cent.* 3. *obſerv.* 80. *p. m.* 461. ſequentibus verbis: *Mir iſt von O. B. und einem andern Frauenzimmer A. M. erzehlet worden, daſs zu Lœwarden ein Zwitter, oder* Hermaphrodit *ſey, welche bey denen Reformirten œffentlich mit einem Manne getrauet worden, und auch von demſel-*

ben

ben etliche Kinder gehabt hætte; doch wære ſie nicht mit dieſem zufrieden geweſen, ſondern hætte ſich zu ihrer Magd geleget, und dieſelbe, wie ein Mann ſeine Frau, bedienet. Als die Magd darauf ſchwanger worden, hat ſie vor dem Richter œffentlich bekennet: daſs ſie niemand, als ihre Frau, geſchwængert. Vide plura eiusmodi exempla, ex variis ſcriptoribus collecta, in Cl. D. D. SCHVRIGII *Spermatologia*, *Cap.* 13.

3. Qu. *An dentur tales hermaphroditi perfecti?*

Iam allegatae obſeruationes eorum exiſtentiam quidem confirmare videntur, ſed, an ſemper verae ſint hiſtoriae, nos valde dubitamus. Nam fere videtur impoſſibile, quod in vno eodemque ſubiecto organa vtriusque ſexus deprehendantur perfecte formata. Alias enim ſequeretur, talem hermaphroditum ſine alterius acceſſu intra ſe generare poſſe, quia ibi et maſculinum ſemen, perfecte elaboratum, et vaſorum vterique conueniens ſtructura, adeoque ad faetum producendum et alendum ſufficiens locus atque materia praeſto eſſet, quare nihil deficeret, quo minus absque alterius coitu grauitaretur hermaphroditus, quod tamen magnopere rectae rationi repugnat. Diuinum numen enim ex ſingulari prouidentia creauit ſexum diſtinctum, in Adamo atque Eua, cuius organa ſtatim in principio adfuerunt, non vero, iuxta HELMONTIVM, poſt lapſum demum formata ſunt. Porro impoſſibile videtur, quod in vno eodemque ſubiecto poſſit duplex praeparari ſemen, quoniam natura interdum vix ſufficit ad ſemen vnius ſexus perficiendum, id quod impotentiae coniugalis millena fere exempla confirmant.

4. Qu.

4. Qu. *Quid ſit cauſa hermaphroditorum?*

Variae ab Autoribus allegantur originis hermaphroditorum cauſae, et arbitrantur 1. Aſtrologi, quod certa Veneris et Mercurii coniunctio tempore impraegnationis hermaphroditos efficiat. Vocabulum enim hocce compoſitum eſt ex graeco vocabulo ἑρμῆς, quod ſignificat Mercurium, et ἀφροδιτή, quod ſignificat Venerem. Alii, cum LEVINO LEMNIO, *Lib. I. de occultis naturae miracul. Cap. 9.* cauſam in certis a menſtruatione diebus quaerunt, ſtatuentes ſcilicet, a primo poſt menſium fluxum die vsque ad quintum, ex congreſſu foecundo, maſculos procreari, deinde ad octauum foeminas, poſtmodnm ad duodecimum rurſus mares, poſt hunc vero dierum numerum hermophroditos. Alii hermaphroditos oriri credunt, quando congreſſus tempore menſtruationis, et fluentibus adhuc menſibus, celebratur. Quem actum tamen omnes fere omnino homines, ſane propter nauſeam, deteſtantur.

Veteres, propter ignorantiam anatomicam, vteri cauitatem in tres cellulas diuidebant, et ſtatuebant, ſi ſemen virile in dextram incideret, mares, ſi in ſiniſtram, foeminas oriri, ſi vero in mediam iniiceretur, Androgynos naſci. Alii a ſeminis vtriusque ſexus conditione originem hermaphroditorum deriuant, et arbitrantur, quod ex ſuperabundante ſemine maſculino procreetur maſculus, ex praeualente vero muliebri ſemine foemina, quod ſi denique contingat, vnum ſemen alteri non praeualere, ex aequali tali virtutum pondere fieri hermaphroditum opinantur.

Quemadmodum autem Aſtrologorum ſententiae dudum, tanquam ſomnia et nugae, ſunt reiectae, ita quoque reliquae adductae hermaphroditorum cauſae recentioribus Phyſicis et Medicis ſuſpectae euadunt: cum pleraeque falſa hypotheſi, vtriusque ſcilicet ſeminis, virilis atque muliebris, com-

miſcela, nitantur. Quae tamen plurimis rationibus a recentioribus refutatur, ſiquidem ſecundum horum fundamenta ſemen virile in coitu raro vteri cauitatem ingreditur, et nunquam ad ipſum ouarium foemineum materialiter penetrat. Deinde ſemen muliebre non in liquore iſto, qui in congreſſu per lacunas foeminarum durante titillatione venerea prorumpit, conſiſtit, nec per huius liquoris et ſeminis virilis miſcelam impraegnatio fit. Excernitur enim talis liquor in voluptuoſiſſimis, ſterilitate tamen inſimul laborantibus mulierculis. Sed omnis generatio ab ouulo, quod a ſemine virili impraegnatur, et in ouario ſucceſſiue ad maturitatem increſcit, dependet. Vnde ſequitur, materiam hermaphroditorum, aeque ac naturaliter conſtitutorum foetuum, non in ſeminibus commixtis, neque in menſibus, neque in media vteri cauitate, ſed vnice in ouulo muliebri quaerendam eſſe. Vnde porro circa hanc ſatis obſcuram hermaphroditorum originem, ſuſpicari mihi liceat, in eiusmodi ouulo muliebri, ſtatim a prima formatione, diſpoſitionem quandam peculiarem, et fortaſſe gemellis aptam, caſu tamen aliquo modo turbatam, exſtitiſſe, ex qua foetus, duobus genitalibus, fere inſtructus, formatur, pariter vti in monſtris, vbi natura fortaſſis gemellos intendit, caſu vero et ſtaminum confluxu bina capita, vel quatuor brachia, formantur, qualem ſententiam nobiscum fouet de origine monſtrorum *Cel. Lipſ. Medicus*, MICH. ERNEST. ETTMVLLERVS, in ſua *diſſertatione*, iam in priori capite citata, *de monſtro hungarico*, *Th.* 5. *p.* 9. *et* 10.

5. Qu. *An hermaphroditi ſint monſtra?*

Veteres hermaphroditos vtique ad monſtra referebant, et tanquam prodigii, atque ſiniſtri ominis aliquid ſignificantes interficiebant, vel in flumina proiiciebant, teſte SCHENCKIO, *Lib.* 4. *Obſ. Medic. p.* 519. BAVHINO, *de hermaphroditis*,

ditis, *Lib.* 1. *Cap.* 35. ZAVNSCHLIFFER, *Oper. Iurid. Tract. de Iure monstrorum*, MOLLERO, *de hermaphroditis*, *Cap.* 5. *et* 6. vbi huius acerbitatis originem refert ad *Legem* 18. *Romuli*, cuius legis exsecutores seuerissimi, hermaphroditos in mare abiici curabant.

Constantinus Imperator etiam, lege lata, hoc tertium genus hominum quoque e vita tolli et auferri constituit, vt ex EVSEBIO PAMPHILIO, *L.* 4. *de vitae Constantia*, refert EBERHARDVS SPECKHAN. *Quaest. Iurid. Cent. I. num.* 77.

Talis autem mos praesenti tempore amplius non obseruatur, sed potius hermaphroditi, quoniam formam humanam possident, hominibus perfectis annumerantur. Et hermaphroditos monstra non esse, nec pro monstris a legibus haberi, sed in virorum, vel mulierum censu reputari, clarum est *L. quaeritur ff. de statu hominum. L. Repetundarum* §. *hermaphroditus. ff. de test. L. Sed est quaesitum*, *in fin. ff. de lib. et posth.* Ergo potius ostenta, non vero monstra dicenda sunt, quia et hic natura membra ampliauit.

6. Qu. *Quomodo sexus praeualentia in hermaphroditis sit dignoscenda?*

Hoc fieri potest reflectendo ad subsequentes circumstantias, et quidem 1) ad organorum molem. Membrum enim genitale illud, quod magis conspicuum est, etiam sexus perfectionem necessario indicat. 2) Et praecipue ad eorum conformationem. Quo magis enim illa ad naturalem accedit, eo perfectior quoque est sexus. Medico autem ex anatomia innotuit, quaenam partes forment sexum masculinum, quaenam vero foemininum. In masculino nempe adesse debet glans, eaque perforata, & praeputio mobili tecta; corona glandem separare et distinguere debet partim a praeputio, partim a corporibus neruosis; in inferiori vero glandis

dis parte adesse debet frenum; testiculi in scroto debent contineri cum suis epididymidibus; per scroti denique mediam partem linea ducta esset debet, quae suturam scroti constituit, et haec per perinaeum ad anum vsque protendi. In pudendis muliebribus, rite conformatis, adesse debent labia, clitoris, nymphae carunculaeque myrtiformes, inter se vinculis quibusdam connexae. 3) Ad situm. Quo magis enim sexus organa occupant situm naturalem, eo potior quoque creditur sexus, et ad officium, suo tempore praestandum, aptior. ZACCHIAS, *lib.* 7. *Tit. I. Qu.* 8. quidem tradit, praeualentiam desumendam esse a situ vel superiori, vel inferiori. Ast haec ratio non sufficit; nam existere potest hermaphroditus masculus, qui supra pubem in regione hypogastrica hiatum quendam exiguum, vuluulam repraesentantem, possidet, interim tamen non sequitur statim, quod sit foemina. 4) Ad meatus. Nam vbi meatus patent, ibi sexus quoque datur praeualentia, inprimis, quando etiam per eiusmodi meatum vrina exceritur. Si vero organa imperforata sunt, inprimis masculina, tunc ad seminis eiectionem natura non destinauit. Eiusmodi conditiones in recens natis inprimis sunt attendendae, in adultis vero, quando organa generationis lustrantur 5) Considerari debent pili. Quemadmodum enim hi pubertatem notant, ita sexus quoque praestantiam indicant. Hinc in sexu valentiori copiosiores et rigidiores, in imperfectiori vero nulli, pauci, et molliores, ad instar lanuginis tantum reperiuntur. 6) Eruptio pilorum in mento et perinaeo probe est obseruanda, nec minus capillorum rigiditas, exiguitas, et crispatura, quae suo modo etiam notabilem dant sexus distinctionem. 7) Nec minus negligendus hic est habitus corporis. Corpus enim oblongum, robustum, carnosum, et musculosum, magis virilitatem, contra vero staturae exiguitas, et corpus molle, foeminei quid indicat. 8) Huc pertinet cutis color et crassities. Cutis enim in sexu masculino solidior, in foeminino vero ordi-

narie tenerior quodammodo deprehenditur, id quod etiam ſpeciem pulchritudinis efficit. 9) Pectus excarne virilem, mammoſum vero, in quo inprimis notabilis, et crinibus minus cincta papilla prominet, foemininum ſexum indicat. 10) Nec vox negligenda, quae quo magis grauior, eo magis virili ſexui conueniens eſt.

Quando vero ſigna diſtinctiora in ſtructura genitalium non apparent, quid tunc agendum ſit, neſciunt ſane Autores, v. g. quando teſtes tantummodo adſunt, rite conformati, mentula autem deficit. Secundum noſtram ſententiam, mentula deficiente virilitas deeſt. Mentula enim abſolute neceſſarium inſtrumentum eſt ad coitum, ergo quoque ad virilitatem. ZACCHIAS, *l. c.* it. et ROLFINCIVS, *Lib. de partibus genital.* a teſtium praeſentia ad virilitatem valere conſequentiam, arbitrantur. Aſt hiſce non ſubſcribo; teſtes enim, in eiusmodi partu monſtroſo deficientes et extra non conſpicui, interdum deliteſcunt in corpore, id quod obſeruationes Anatomicorum confirmarunt. Ergo in tali ſubiecto potentia generandi non deficit. Quando quoque in hermaphroditico ſubiecto per organon illud, quod pudenda muliebria conſtituit, menſes erumpunt, et quamuis excretio talis fiat in exigua quantitate, modo cum periodico recurſu, tunc ſignum hocce vtique notat ſexus foeminei praeualentiam: quale exemplum proſtat apud ZACCHIAM, *l. c.*

7. Qu. *Quid ſit ſtatuendum de matrimonio hermaphroditorum?*

Illi, in quibus nulla ſexus vera diſtinctio apparet, nec perfectio; (qualia exempla annotauit COLVMBVS, *in Anatom. ſua, L.* 15. SCHENCKIVS, *in Obſ. L.* 4. ZACCHIAS, *l. c.*) ad matrimonium ineundum inhabiles iudicantur: quoniam nec maris, nec foeminae munere fungi queunt. Vbi vero

aut

aut fexus mafculinus, aut foemininus manifefte praeualet, vel, vti leges loquuntur, vbi maior deprehenditur incalefcentia, ibi coniugium permittitur. STRUV, *Syntagmate Iur. Ciuil. Exercit.* 3. SIMON, *de impotentia coniugal. c.* 4. *thef.* 2. *p.* 86. VALENTINI, *Nov. M. L. Caf.* 10. *p.* 244. CARPZOVII *Confiftor. L.* 2. *def.* 16. SCHVRIGII *fpermatolog. p.* 661. vbi integrorum collegiorum refponfa reperiuntur. Cauendum vero, ne mas cum mare, foemina cum foemina combinetur, id quod accuratior infpectio Medicorum, non vero obftetricum, (vid. BOHN. *in Offic. Med. P.* 2. *c.* 3. *p.* 569. et SCHVRIGII *Spermatologiam, C.* 13. *p.* 641.) determinat. In cafu vero dubio, iuxta nonnullorum ICtorum fententiam, vt BALDI, in *Legem quaeritur ff. de ftatu hominum,* hermaphrodito electio conceditur, modo iuramento promiferit, quod altero fexu vti nolit. Aft quoniam hoc fine fcandalo fieri non poteft, haec fententia merito reiicitur. STRYK. in *Iur. fenfuum, difp. I. C.* 1. *thef.* 62.

8. Qu. *An hermaphrodito, vtroque organo ad generandum perfecto, conceffum fit, vtroque modo coire, et, quando hoc fecit, an fit puniendus?*

1) Vterque congreffus nec fine fcandalo, nec fine adulterio fit, imo confultius eft, omnibus omnino hermaphroditis matrimonium plane interdicere. Quando vero matrimonium iniit, iuramentumque, quod altero organo vti non velit, praeftitit, et tamen durante matrimonio vtroque organo vtitur, tunc hoc crimen, iuxta nonnullorum fententiam, poena capitali punitur. Vid. argumenta, tum affirmatiua, tum negatiua, de hac re in SCHVRIGII *Spermatologia, p.* 667. *& feqq.*

9. Qu. *An hermaphroditus in foro testari queat?*

Respondeo, quod non. Dicunt quidem nonnulli, quod hermaphroditus, qui sexum virilem elegit, pro viro in Republica sit habendus, et ad res, atque officia, viris concessa, admittendus. Ast, quoniam ad sexum foemininum insimul inclinat, ideo vir perfectus reuera non existit. Quemadmodum enim, iuxta communem Doctorum consensum, eunuchi, quia foemineae naturae propinquiores sunt, foeminis accensentur, et ideo omnium illorum iurium, ac priuilegiorum, quae viris attribuuntur, indigni iudicantur, contra foeminis fauorabiles leges illis applicantur: Ita etiam res sese habet in hoc passu, quare ad testificandum merito inepti iudicantur hermaphroditi.

10. Qu. *An muneribus publicis, ciuilibus, atque ecclesiasticis fungi queat, et an succedat in feudis?*

Ad primam quaestionis partem quod attinet, certum est, quod hermaphroditus muneribus publicis sine scandalo, praeesse non valeat, pariter quoque vix in feudum succedere, inprimis ille, in quo sexus masculini praeualentia, et exacta perfectio non reperitur. Nam, iuxta RITTERSHVSIVM et LVDWELL, *Synopsi Feudal. Cap. 6.* ROSENTHAL *de feudis, Cap. 7.* soli masculini sexus in feudis admittuntur, adeoque hermaphroditi, in quibus aut sexus parilitas, aut masculini imperfectio, aut foeminini praeualentia, obseruatur, feudi capaces haud sunt. In statu vero dubio nonnulli respicere volunt ad actiones eiusmodi subiecti, et virtutum ac virium eminentiam. Ast haec regula mihi non videtur esse vniuer-

salis,

ſalis, nec vbique applicari poteſt, dum in ſucceſſione feudi non ſemper de adulto quaeritur, ſed etiam de recens nato.

11. Qu. *Quid ſit ſtatuendum de baptiſmo hermaphroditorum?*

Cum certum ſit, quod hermaphroditi non ſint monſtra, ſed foetus, humanam formam habentes, ideo, vt alii homines rationales atque Chriſtiani, merito baptiſmo abluendi, et nomine donandi veniunt. Antequam vero talis foetus baptizetur, organa probe inſpicienda, quaenam nempe magis formata et perfecta ſint, hoc facto, aut maſculinum, aut foemininum nomen etiam illis tribuitur. Quando vero in tali infante, recens nato, vterque ſexus perfecte effigiatus eſt, vel quando ſexus dubius eſt, arbitratur MOLLERVS *de hermaphroditis*, *C.* 5. quod eo in caſu viri nomen eligendum, ex hac ratione, quoniam natura, omnium veluti rerum magiſtra, et opifex, ſed ad meliora, & perfectiora inclinet. Quando vero hermaphroditus foemina pro maſculo rite baptizatur, vel, vice verſa, maſculus pro foemina, baptiſmus ideo non reiteratur, ſed tantummodo nomen mutatur. Actus enim illle ſacer vitioſus minime eſt, quia hic ſubſtantialia baptiſmi obſeruantur, Sacroſancta quippe Trinitas inuocatur, atque in nomine Patris, Filii et Spiritus ſancti aqua effunditur. B. GERHARD. *in Loc. theolog. Tom.* 4. *de ſancto baptiſmo*, *ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 26.

12. Qu. *An detur mutatio?*

Affines hermaphroditis cenſentur perſonae, quae ſexum mutant, de qua ſexus mutatione varia hinc inde apud Autores reperiuntur exempla. v. g. apud PARAEVM, in *Chirurg. L.* 24. *Cap.* 5. extat hiſtoria de virgine quadam Luſitanica nobili, quae, cum ad aetatem perueniſſet illam, in qua mulieres primum

primum lunare tributum persoluunt, ecce! vice mensium priapum, vsque ad id tempus intus latitantem, protrusit, et sic ex foemina factus est masculus, qui postea vxorem duxit, sed an liberos procreauerit, non satis compertum est, inquit Autor, interim tamen, virum hunc imberbem semper mansisse, ab Autore affirmatur. Aliam quoque sibi relatam ibi habet historiam de persona, quae vsque ad 14. annum foemina fuerit, in fine autem subsequentis, cum ancilla vna in lecto decumbens, atque lasciuiens, latens virile membrum ex improuisio cum impetu emiserit. Idem Autor refert aliam historiam de virgine 15. annorum, quae cum saltu impetuoso subito vincula pudendorum disruperit, vt penis, in corpore delitescens, cum notabili dolore prosiliret. Illam, ait, domum reuersam matri maxima cum lacrymarum effusione intestinorum suorum, ex abdomine pendentium, iacturam ostendisse, Medicos vero vocatos pronunciasse, filiam ita in filium mutatam esse. Quid vero statuendum sit de hacce sexus mutatione disputent alii, nos illam aut negamus, aut cercosin fuisse, affirmamus. Ipse enim PINAEVS *de Not. virgin.* quoque non credit eiusmodi sexus mutationem, seu filiae in filium conuersionem, et, dum de mutatione masculi sexus in foemininum omnes fere Autores silent, ideo nostra theoria magis roboratur et confirmatur.

CAP. XV.

DE IMPOTENTIA CONIVGALI, INPRIMIS IN SEXV VIRILI.

Ex mente Canonum, duplex est coniugii effectus, seu finis. Alter speciei humanae propagatio, per procreationem partus; alter mutuum rei domesticae, vitaeque subsidium, quae

quae ratio quoque in ſacris traditur, tanquam cauſa et occaſio condendae mulieris. *Gen.* 2. *v.* 18. *et* 20. Et quamuis duplex hic matrimonii finis ad validitatem matrimonii requiratur, tamen matrimonium praecipue cauſa procreandi liberos contrahitur. Ideo et ille ad coniugium primario ineptus exiſtit, qui debitum coniugale reddere non poteſt, h. e. cui deficit coeundi, et ſeminis eiaculandi potentia, ZACCHIAS, *L.* 3. *tit.* 1. *qu.* 1. ſine qua nunquam foemina a viro impraegnatur. Foemina enim tantum per membra generationis, ſecundum naturae inſtitutum cum viro copulatur, et ſane fabulae, ſomnia, meraque mendacia ſunt, et dici merentur, quaecunque iactantur de conceptione, facta ex ſemine virili in balneo reiecto, vel ex eius effuſione extra, licet prope vaſa muliebria, aliaeque nugae, his non abſimiles, ab AVERRHOE, IO. BAPT. SYLVATICO, ALBERTO MAGNO, aliisque traditae. Copula hic carnalis requiritur, h. e. organorum generationis ad ſe inuicem conueniens adplicatio. Et cum in foro eccleſiaſtico multoties quaeſtio oriatur de coeundi et generandi ſufficientia, ſiue potentia, ideo, illam quoque hic pertractemus, rei neceſſitas expoſcit.

I. Qu. *Quid ſit impotentia coeundi? quid generandi?*

Coeundi impotentia eſt vitium vel naturale, vel accidentale, ſiue, quod idem eſt, praeternaturale, quo quis impeditur alteri carnaliter commiſceri. HOSTIENSIS, in *Summ. Lib.* 4. *Tit. de frigid. et malef.* IO. BRVNELL. *de ſponſ. et matrimonio, concl.* 28. *n.* 2. Coitus enim eſt adplicatio maris et foeminae in membris generationis, qua ſemen ad ſpeciei propagationem et indiuiduorum conſeruationem expellitur. Impotentia autem *generandi* quoque eſt vitium naturale, vel praeternaturale, ſiue accidentale, quo quis, legi-

 timo,

timo, vel naturali coitu vtens, inhabilis eſt ad ſui ſimilis generationem.

2. Qu. *Quaenam ſint cauſae impotentiae coniugalis?*

Tam coitus, quam generationis impotentia, plures habere poteſt cauſas, modo ex parte viri, modo ex parte mulieris prouenientes, quae diuiduntur commode in externas et internas. Externae cauſae illae ſunt, quae a Medicis alias non naturales dicuntur. Quo pertinet 1) aër, cuius efficacia in corpus humanum maxima ſane eſt. Frigidus enim homines ad veneris luſus torpidos reddit. Calidus contra viros quidem interdum debilitat, foeminas contra ſalaciores reddit, et, ſi, iuxta HIPPOCRATEM, *Lib. de Aere, aquis, et locis, Text.* 48. Scythis endemia eſt impotentia, illa magis ab aere frigido, quam ab equitatione ac venarum poſt aures ſectione oritur. Huc pertinent quoque victus ratio et alimentorum, medicamentorumque nonnullorum indecens vſus. Sic ex alimentis ſterilitatem foeminis afferre poteſt abuſus aſparagi, qui contra viros confortat, atque ſalaciores reddit. Huc pertinent et medicamenta venoſa, quae impotentiam praeſtant, qualia ſunt inprimis ſaturnina, de quibus tamen alibi. Primario autem venerem excitant, vel ſupprimunt animi affectus et vita. Sic diſcordia inter coniuges, moroſitas atque contemtus, ira ac triſtitia venerem reſtringunt. Gaudium contra, atque vera amorum teſtimonia, blanditiesque et formoſitas veneris ſenſum atque ſtimulum notabiliter augent. Hinc, iuxta TIRAQVELLVM *de lege connubiorum, p. 2. leg. 2.* grauius peccatum eſt coire cum difformi, quam cum formoſa. Inſuper omnis odor foetens, corporisque immundities, libidinem ſuffocat, animumque auertit.

Cauſae internae diuiduntur in vniuerſales atque particulares. Ad vniuerſales pertinet aetas, quae naturalem impoten-

potentiam praeſtat. Non poteſt quidem certo annorum numero coeundi potentia praeſcribi (nam de coitus potentia primario ſermo eſt, cum generandi ſpes ex coitu habeatur, *Leg. final. C. de ſponſal.*) interim tamen iuuenes ante XVI. vel XVIII. annum vix libidinis ſtimulum ſentiunt, atque ad coeundum potentes ſunt; hinc eo tempore hircire et catulire, iuxta ZACCHIAM, *Lib.* 3. *Tit. I. qu.* 2. incipiunt, h. e. in venerem accenduntur. Senes quoque 70mo anno ordinarie impotentes ſunt et aculeos amiſerunt. Qui vero ſerius coire incipiunt, in illis ſerius quoque coeundi potentia recedit, et contra, qui libidinoſam exercent iuuentutem, effoetum poſſident corpus in ſenectute, iuxta SENECAM.

3. Qu. *Quaenam ſint cauſae praeternaturales vniuerſales, impotentiam coeundi et generandi producentes?*

Sunt morbi omnes, qui hominem debilitant ac vires tum ſolidorum, tum fluidorum infringunt. Morbum enim hominem ad generationem impotentem reddere poſſe, per *L. filium eum definimus ff. de his, qui ſui vel alieni iuris ſunt L. ſi pater §. final. ff. de adopt. et arrogationibus* confirmatur. Qui morbi omnes, quando ope medica reparari poſſunt, matrimonium non dirimunt; ſi vero ſint irreparabiles, matrimonium diſſoluunt, *iuxta L. C. de frigid. et maleficat.* BRVNELL. *de ſponſal. et matrimon. concl* 28. *n.* 18. Diſtinguunt quidem ICti inter vitia naturalia, et inter morbos, ZACCHIAS, *lib.* 3. *Tit. I. qu.* 3. Aſt haec diſtinctio nullius eſt momenti, et fluit ex hypotheſi veterum, qui tres hominis ſtatus admittebant, nempe 1) ſtatum ſecundum naturam, ſeu ſanitatem, 2) ſtatum praeter naturam, ſeu morbum, et 3) ſtatum neutrum. Si vero ſanitas potentia eſt exercendi actiones, homini competentes ſecundum ſexum atque aetatem, ſequitur, quod

omnis impotentia actionum etiam ſit morbus. In hoc conſentiunt omnes, etiam ſcriptores inſtitutionum medicarum. Interim vitio naturali ex hypotheſi illi laborant, qui nunquam ſtimulo venereo agitantur, et genitalia torpida gerunt, ac in quibus mentula nunquam erigitur, nec glans rubet atque ſenſu praedita eſt. Tales perſonae ſane effoeminatae ſunt, hincque pallidam faciem habent, et plerumque imberbes ſunt.

Morbi vniuerſales, hominem impotentem reddentes, ſunt v. g. omnes euacuationes enormes, vt diarrhoea colliquatiua, ſudor colliquatiuus, haemorrhagiae, ſiue ſpontaneae, ſiue ex vulnere. Haec enim fluida vitalia notabiliter imminuunt, et, quoniam ab illis vires ſolidorum dependent, ideo torpidi, frigidi atque languidi homines redduntur, ipſaque in illis venus extinguitur, qui morbis dictis laborant. Huc pertinent porro vulnera capitis, ex obſeruatione MARCELL. DONAT. *Hiſt. mirab. L. 4. C. 13.* et AMATI LVSITANI, *Cent. 6. n. 95.* item capitis percuſſiones ernormes, ex obſeruatione HILDANI. Laeduntur nempe ita nerui, a quorum integritate potentia generationis promouetur. Simili modo hydropici, herniosi, hectici et paralytici, dum corpus vix commouere poſſunt, dici merentur impotentes. Tandem huc referri debet incantatio et faſcinatio. Hanc quidem non nulli pro imaginaria habent, BORELL. *Cent. 4. obſ. 68* ſed experientia eius exiſtentiam probat. Modum vero huius faſcinationis exponere non poſſumus, dum certo modo hyperphyſicus eſt, quatenus ſcilicet operandi modus nobis eſt occultus. Probabiliter tamen partim debilitantur ſpiritus, partim nerui obſtruuntur, ac ita paralyſis penis oritur; (nam muſculi erectores penis neque mentulam erigere, neque ſemen, in veſiculis ſeminalibus contentum, exprimere poſſunt:) Aut ipſa vaſa ſpermatica, teſtes, epidydimides et veſiculae ſeminales in tali faſcinatione conſtringuntur, quo perit omnis

omnis ſeminis elaboratio, ſecretio, atque ſtimulus venereus, a praeſentia ſeminis copioſi, in veſiculis ſeminalibus exiſtentis, dependens. Ac ſane in frigidis, quos vocant, ſiue illis, qui in aetate habili ad venerem tamen neque inclinant, neque vllum ſenſum libidinis percipiunt, omnia iam dicta contingunt. Vid. FRIDERIC. HOFFMANN diſſ. *de philtris ac venenis abortiuis*, Halae 1729.

4. Qu. *Quaenam vitia particularia impotentiam coeundi et generandi praeſtant in ſexu maſculino?*

Omnia illa, quae organa generationis laedunt, inprimis vitia mentulae et teſticulorum, de quibus fuſiſſime egit Celeb. SCHVRIGIVS, in ſua *Spermatologia*, C. 10.

5. Qu. *Quaenam ſunt vitia mentulae?*

Ad vitia mentulae pertinet 1) mentulae defectus, ſiue a natiuitate, qualia exempla in SCHENKII *Obſ. Med. L.*4. extant. ſiue extirpatione, vbi a gangraena, ſphacelo, et cancro morbisque venereis vel afficitur, et corrumpitur, vel plane conſumitur, et Medicum ita ad abſciſſionem huius membri neceſſitat, aut quando iuuenes, cuſtodiae gynaeceorum deſtinati in regionibus orientalibus ita impotentes redduntur. 2) Penis retractio, vbi membrum virile corrugatur, abbreuiatur, et in abdomen abſconditur, ſiue hoc fiat a ſpaſmo, vt in ſenili aetate, vel in calculoſis, ſiue a veneficio, qualia exempla reperiuntur in SCHVRIGII *Spermatolog. C.* 3. 3) Penis paralyſis, ſiue erectio deficiens, quae erectio ad generationem abſolute neceſſaria eſt. Dum enim penis erigitur, et rigiditatem acquirit, in antliam commutatur, qua mediante pudenda muliebria dilatantur, ſemenque virile in aruum muliebre infunditur. Hinc recte iudicat ZACCHIAS, *L.* 3.

Tit. I. qu. 8. quod absque penis rigiditate mulier a viro cum effectu non cognoſcatur. 4) Penis ſitus in loco inſolito, v. g. in fronte, BORELLII *Obſ.* 74. in facie, loco naſi, LICETVS *de Monſt. Lib.* 2. *cap.* 30. in occipite, *M. N. C. dec.* I. *anno* 3. *Obſ.* 42. in mamma, *M. N. C. dec.* 2. *anno* 7. *obſ.* 123. vel etiam in perinaeo, aut ſupra pubem 5) Huc referri debet phimoſis, ſiue impedita glandis denudatio, quae diuerſi eſt generis: 1) Contingit a praeputii clauſura fere omnimoda. Hinc ROLFINCIVS *de partibus genitalibus, P. I. c.* 50. inquit, vbi praeputium adeo anguſti orificii eſt, vt glans illud nequeat perforare, ſumma in coitu oritur difficultas: Neque enim vrina, neque ſemen liberum exitum inueniunt. Noui exemplum tantae anguſtiae praeputii in iuuene ſtudioſo, qui ipſam vrinam ſemper maximis cum difficultatibus et reuera guttatim emittebat, dum illa effluebat per foramen praeputii vix notabile. Talis praeputii clauſura a nonnullis inter ſigna virginitatis iuuenum refertur. 2) Ex anguſtia praeputii, paulo tamen auguſtioris, quam vbi fere omnimode clauſum eſt, oritur *capiſtratio.* In hoc malo glans tumens et rigida in coitu ad dimidiam tantummodo ſui partem denudatur, et inſimul cum dolore et moleſtia comprimitur, quare non tantum extinguitur voluptatis ſenſus, ſed et ſeminis eiaculatio impeditur. 3) Phimoſis ſpecies eſt, qua coitus laeditur, quando praeputium, ſiue in totum, ſiue in tantum, cum glande cohaeret. Ita enim conuenienti modo erectio mentulae et ingreſſus ad pudenda muliebria fieri haud poteſt. Cuius rei exemplum extat in VALENT. *ff. Med. Legal. P. I. S. I. Caſ.* 9. 6) Mentulae vitium eſt curuatura et tortuoſitas penis, ſiue a ſpaſmo, ſiue a laeſione penis, a morbis inprimis venereis. Quando enim ita penis, falciformis redditur, vel ad alterutrum latus incuruatur, etiam ineptus eſt ad coitum et generationem. 7) Penis inconueniens perforatio, ſiue hypoſpadia. In tali enim morbo penis non in loco ordinario, ſeu anteriore glandis parte, *ſed in inferiori loco, circa*

glandis

glandis frenum, vel in media vrethrae parte, vel circa radicem prope ſcrotum perforatur, vrinam et ſemen emittit. In tali morbo coitus quidem perficitur, aſt an eiusmodi vir coitum foecundum exercere, atque adeo ad matrimonium admitti poſſit, diſputant Autores. Vid. ZACCHIAM, *Lib. 9. Tit. 3. qu. 6.* vbi inquit: Conueniunt Doctores, quod quandocunque foramen virgae in ſuo naturali loco non adpareat, impediatur omnis generatio, quia ſemen recta ad vteri internum oſculum peruenire non poteſt, ſed ad latera, vel ad poſteriorem partem, effunditur. Et pergit Autor, quod glans impedimento ſit, ac, etiamſi vterus, ſeminis virilis auidiſſimus, illud cum voluntate excipere vellet, tamen, ob impedimentum glandis, hocce fieri non poſſit, euaneſcatque hinc ſpiritus, et ſemen infoecundum euadat. Haec ſterilitas in imperforatis experientia confirmatur. Vid. *Miſcell. N. C. Dec. I. anno 9. et 10. obſ. 105.* SCHENCKII *obſ. med. Lib. 3.*
8) Mentulae nimia proceritas. Vulgo mentula ſolito maior minori praefertur, quoniam in ſenſu voluptatis acceptior, et ad generationem vtilior iudicatur. Quam ſententiam vulgi Medici non ſemper amplectuntur, dum membrum virile nimis longum vteri orificium contuſione moleſtare, et ideo generationem magis impedire, quam promouere, imo plane diuerſorum periculoſorum ſymptomatum cauſſa exiſtere ſolet, confirmante hoc ZACCHIA, *Lib. 7. Tit. 3. qu. 5. et 7.* vbi exemplum ANGELAE adducitur, meretricis Romanae, quae, dum cum viro, probe mentulato, congrediebatur, in ſyncopen incidebat, nil dicam de aliis morbis, qui ab vteri, per mentulam maiorem facta, contuſione producuntur, dolore, inflammatione, haemorrhagiis, etc quae veneris iucunditatem omnem adimunt, et conceptionem impediunt. Vid. plura in SCHVRIGII *Spermatologia, Cap. 10. p. 496. et ſequ.* Similia incommoda ex penis nimia craſſitie fluunt. Hinc coniugium tale ſterile merito iudicatur, conſentiente Facultate Medica Lipſienſi, in ZITTMANNI *Mediçina Forenſ.*

Cent. 2.

Cent. 2. *caſ.* 85. et ideo, praeuia habita inſpectione, diuortium quoque permittendum. Celeb. VALENTINI, in *Nouell. Med. Legal. Caſ.* 5. ex iudicio D. Doebelii, ſequentem curioſam allegat obſeruationem, quod in nonnullis Conſiſtoriis Daniae aſſeruentur penes, ex lapide ficti, vel ex ligno formati, ad quos in rebus dubiis, ceu ad regulam, menſurationis ergo, confugere ſoleant. 9) Quaeſtio oritur, an etiam vir, nimis paruo virili membro dotatus, ad liberorum procreationem et matrimonium ineundum habilis ſit? Ad hancce quaeſtionem reſpondit ZACCHIAS, *Lib.* 3. *Tit.* 1. *qu.* 6. Si mulier hiantem admodum vterum habet, et virile membrum nimis exiguum exiſtit, congreſſus inter ipſos vix ſequi poteſt: Nam vterus, nimis patens, virile membrum ita amplecti non valet, vt inde delectatio, membrique intenſior erectio, ac ſeminis conueniens eiaculatio ſequatur. Hanc ſententiam alii negant, et defendunt potius, quod penis breuis impraegnationem non impediat, 1) quoniam ad prolis generationem non ſeminum commiſcela, ſed tantummodo ouuli per auram ſeminis virilis foecundatio requiratur. 2) Quod ſeminis virilis ad orificium vterinum internum proiectio et effuſio ideo non ſemper ſit neceſſaria. Hinc Facultas Lipſienſis apud ZITTMANNVM, *Cenſ.* 6. *Caſ.* 77. inquit: *Daſs ein unvollkommener Congreſſus*, *da* mentula vaginae vteri orificio *nur einiger maſſen applicirt*, *dieſe aber* a ſemine virili *aſpergiret worden, zur Schwængerung einer Weibes-Perſon zuweilen zulænglich befunden werde.* Et VALENTINI, in *Nouell. Med. Legal. Caſ.* 3. *p.* 33. *et Caſ. p.* 60. quaeſtionem mouet, an mentula, iuſto breuior, conceptionem et impraegnationem impediat, ibidemque negatiue reſpondet, quoniam, ratione viri, ad procreationem ſobolis ſola ſeminis prolifici eiaculatio non in vteri cauitatem internam, ſed tantum in vaginam ſufficiat.

Hac occaſione, vbi de mentulae ſtatu ſermo eſt, quaedam ſimul dicenda veniunt de *circumciſis, recutitis*, et *infibulatis*,

bulatis, eorumque potentia. Quid circumcisio sit, nemo sane ignorat, et quod illa potentiam coniugalem non impediat, sed potius augeat. confirmant Iudaeorum, Turcarum, atque Persarum, coniugia. Nec minus de recutitorum, siue illorum, qui arte defectum praeputii redintegrarunt, potentia dubitandum. Infibulati vero tam diu impotentes sunt, quam diu a fibula non liberantur. Erat vero infibulatio clausura, vel ligatura praeputii, filo, vel fibula metallica facta, quae congressum impediebat.

Eiusmodi operationes olim erant in vsu, in praesenti autem rarissime, vel nunquam contingunt. Nihilominus in Medicina Legali interdum de recutitione quaestio oritur, v.g. quando Iudaeus, mulierem christianam in coniugem desiderans, iudaismum pernegat, vel quando, perpetrato delicto, aut scelere, quodam, se Iudaeum, seu circumcisum esse, fatetur, et quidem ex eo fundamento, quia glandem, praeputio tectam, habeat, in quo casu de recutitionis possibilitate quaeritur, et an ex certo aliquo signo, tam praecedanea circumcisio, quam subsequens recutitio, in Iudaeis, vel eiusmodi nationibus circumcisis, dignosci valeat? Si ad primum respondere volumus, fatendum, recutitionem vtique esse operationem possibilem, testante CELSO, *Lib. 7. C. 25.* DION. *in chirurgia de operationibus mentulae.* AMMANNO, *in Med. Crit. Cas. 39.* B. WEDELIO, *Exerc. Med. Philolog. Decad. 5. Exerc. 1.* IOSEPHO, *de Antiquitat. Iudaic. L. 12. c. 6.* vbi inquit: *Iudaeos sibi praeputia adduxisse, vt in gymnasio nudi quoque non essent Graecis dissimiles.* Et olim apud Iudaeos in vsu fuisse, testatur PAVLVS, *Epist. 1. ad Corinth. C. 7. v. 18.* vbi Iudaeis, christianismum amplexantibus, prohibet, ne signa circumcisionis obtegant, *ist iemand beschnitten beruffen, der zeuge keine Vorhaut.* Imo talem operationem hodienum Iudaeis adhuc notam esse, confirmat AMMANNVS *l. supra cit.*

Q Recu-

Recutitionem autem, siue praeputii restitutionem, dignoscere, res est, quae maximam circumspectionem exposcit. Nam instituebatur olim 1) ad modum CELSI, per incisionem circa radicem penis, qua oriebatur notabilis et lata cicatrix, et cutis mobilis mentulae elongabatur. 2) Restituebant praeputium absque incisione certo instrumento attractorio, seu spatisterio, itaque fibris successiue extensis, defectum praeputii resarciebant. Primus modus facile ex cicatrice, posterior vero difficulter dignoscitur a Medico et Chirurgo peritissimo, nisi cicatrix in extremitate praeputii, a circumcisione relicta, fraudulentiam hancce insimul reuelet.

6. *Qu. Quaenam sunt vitia testium?*

Ad vitia testium, quae impotentiam generandi (non vero coeundi) praestant, pertinet partim eorum laesio, siue illa consistat in scirrhositate, facta a contritione, contusione, vel morbo quodam interno, inprimis venereo, v. g. hernia venerea, vbi inprimis epididymides afficiuntur et obstruuntur. Cum vero certum sit, quod testes, vtpote partes nobiles, constituant promptuarium generis humani, in quibus liquidum genitale, siue semen virile, elaboratur, separatur, et conseruatur, ideo per se clarum est, quod per vitia testium turbetur genuina seminis elaboratio, et ita generandi potentia. Personae, vitiis eiusmodi testium laborantes, salutantur vel *Castrati*, vel *Eunuchi*, vel *Spadones*, vel *Ectomiae*, vel *Thlibiae*, *Thlasiaequae*. Haec vocabula apud Medicos et ICtos promiscue plerumque sumuntur, imo pro synonymis interdum habentur, nihilominus autem a se inuicem distinguenda veniunt.

Eunuchi sunt vel a natura, vel casu, vel ex instituto. Eunuchi a natura sunt, qui sine testibus nascuntur, et postea, crescentibus annis, in eodem statu permanent. Quod de

DOROTHEO, *antiocheno Episcopo*, narratur. SCHENCKIVS, *Lib. 4. Obs. Tit. de testicul.* Porro Eunuchi dicuntur natura tales, qui neque titillatione, neque ostentatione corporis nudi formosae puellae, neque vllo alio modo ad praelium in castris venereis accendi possunt, licet in illis penis debita magnitudine conformatus sit, et testibus, magnitudinem oui columbini aequantibus instructi deprehendantur. Vid. eiusmodi casum in MISCELL. *N. C. Decad. 3. anno 4. obs. 32.*

Eunuchi per artem, secundum AEGINETAM, *Lib. 6. cap. 68.* BONETVM, *Polyalthes Tom. 2. L. 4. C. 17.* sunt quorum testiculi vel sunt contusi, et sic ad generationem inutiles redditi, vel excisi plane. Olim autem eunuchismi, seu eunuchos faciendi modus, duplex erat, primus contusione absoluebatur, vbi puerorum, vel infantium, in aquam calidam collocatorum, testiculos digitis, vel ferulis fissis, contundebant, comprimebant, et constringebant paulatim, vsque ad eorum abolitionem et euanescentiam. Quod genus eunuchorum *Thlibiae* et *Thlasiae*, siue *Thladiae* salutantur. Secundus modus fiebat excisione, hincque dicebantur *Ectomiae*, *excisi*, *exsecti*, *semiuiri*, *castrati*. Haec castratio est vel 1) *inconsulta*, v. g. ex morsu animalium, vel iactu globorum ex tormentis bellicis, aut denique conquassatione inflammatoria, etc. vel 2) *consulta*, siue ex consilio medico suscepta, in hernia affectis, maniacis, podagricis, leprosis, scirrho testiculorum venereo, alioue non maligno, vel lucri, aut quaestus iniqui causa. LANGIVS, *lib. 1. Epist. 69.* annotat castrationem improprie dictam, vbi Aegyptiorum sacerdotes modica Cicutae sorbitione sese impune castrare consueuerunt, id quod alio quoque veneno fieri potest inprimis sachari saturni vsu. *Spado* quid sit, Authores valde inter se disputant. Spado enim dicitur 1) ab vrbe Spada Persiae, vbi castrationis mos primum inualuit et floruit. Semiramis enim, Regina Babyloniae, primum eunuchos, siue spadones, prae-

parari curauit. 2) Spado dicitur a σπάω, quod denotat conuello. Hinc ſpadones proprie a Medicis dicuntur, quorum nerui, qui membra genitalia, et horum muſculos commouere debent, a quacunque cauſa, vel morbo, conuulſi ſunt. In tali ſtatu quoniam teſtes non omnimode deficiunt, ideo ſpado ſemen, in minori tamen quantitate, praeparat. 3) Spado dicitur vir vnius teſticuli, ſiue, quod idem eſt, monorchis. *L. ſi ſerua* §. *ſi Spadani ff. de iur. dot.* 4) Spadones a Medicis Neotericis frigidorum praecipue, ſic dictorum, hominum claſſi annumerantur, quod ſcilicet materiali quidem praediti ſint, aſt in efficiente cauſa ac formali vtique laeſi deprehendantur. Vid. D. D. EWALDI, *Med. P. Regiomont.* diſſ. *de Eunuchis et Spadonibus.* Vel, iuxta HAHNIVM, *ad Weſenbecium, tit. de ritibus nuptiar. verb. impotentes*, ſpadones ſunt frigidioris conſtitutionis, vel talismodi morbo ſontico impliciti, vt generatio inhibeatur. Quod tamen naturae vitium adhuc ope Medicorum tolli et curari poſſibile eſt, adeoque nec dirimit matrimonium contractum, nec impedit contrahendum, argumento eorum, quae proferuntur a D. SIMONE, *Tr. de impotent. coniugal. Cap. VI. §. 2. p. 109.*

7. Qu. An illi, qui aut natura, aut alia vi externa caſtrati, ſeu penitus exſecti ſunt, ita, vt ambobus deſtituantur teſticulis, cum foeminis coire, ſemen effundere, aut generare valeant, hincque ad matrimonium ſint admittendi?

Ad hanc qnaeſtionem vt reſpondeamus, ſingula eiusdem membra conſideranda nobis erunt. Ad primum ergo, an ſcilicet eunuchi coire, et actum venereum exercere poſſint, reſpondemus affirmatiue. Eunuchus enim pene gaudet, qui

qui in ſenſu voluptatis erigitur. Sunt enim omnia organa ibi, quae hancce erectionem et rigiditatem praeſtare poſſunt, adſunt nerui pro ſenſu voluptatis, corpora neruoſa pro penis intumeſcentia, ac tandem muſculi pro erectione. Id IVVENALIS olim obſeruauit, dum Satyra ſexta cecinit:

Sunt, quas eunuchi imbelles ac mollia ſemper
Oſcula delectant et deſperatio barbae,
Et quod abortiuo non eſt opus, illa voluptas
Summa tamen, etc.

Hi Satyrici verſus indicant, ipſos eunuchos arrigere penem, et incumbere, ſed non implere mulieres, aut grauidas reddere valere. Nam, propter defectum ſeminis, congreſſus talis non eſt foecundus. Et quamuis in coitu liquorem quendam protrudant, tamen ille liquor proſtatarum eſt, non vero teſticulorum. In teſtibus enim vnice, vtpote in γονηποιήσεως vera officina, ſemen elaboratur:

An caſtradis, eunuchis, ſpadonibus, et toto patrimonio priuatis, matrimonium ſit concedendum, in praeſenti non determinare volo, quoniam fuſiſſime de coniugio eunuchi agit Celeb. VALENTINI, *in Novell. Med. Legal. Caſ. 6. p. 62. nempe vsque ad 222.* Et quamuis ibi varia, pro ſententia affirmatiua roboranda, reperiantur, nihilominus tamen, cum poſt gloriam diuinam vltimus matrimonii finis ſit ſobolis procreatio, eunuchi vero, ob defectum teſtium, ſemen prolificum atque generationi aptum minime contineant, ideo merito a matrimonio excluduntur. Dum de eunuchis hic agitur, etiam quaeſtio oritur, an eunuchi ab eccleſia ſint excludendi. Reſpondendum affirmatiue. Extat enim *Deuteronom. C. 29. v. 1.* non intrabit eunuchus, attritis, vel amputatis teſticulis, eccleſiam Domini, imo, iuxta *Leuitic. C. 21. v. 20.* nullum animal, quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis teſticulis erat, offerre licebat, et in eccleſia Romana receptum eſt, ac Iure Pontificum confirmatum, quod eunu-

chus neque papa esse possit, neque sacerdos. Castrati in foro Romano etiam non admittebantur vt testes.

8 Qu. An monorchides, vel natura tales, vel quibus alter testiculus exsectus, aut alio infortunio ablatus est, ad generandum aeque habiles sint, ac alii, duobus aut tribus testiculis, vel pluribus, vel dotati, vel an potius steriles atque ad matrimonium inepti?

SCVLTETVS, *in armamentario chirurgico, part 2. obseru. 64.* de his inquit: Quamuis multi post alterius testiculi excisionem aliquot procrearint liberos, non pauci tamen antea foecundi, licet in vno saltim latere excisi fuerint, steriles facti sunt. Et, secundum WILH. ten RHYNE *de promontorio bonae spei, Cap. 22,* incolae huius promontorii, Hottentottorum nomine venientes, omnes, quotquot nascuntur, masculos alterutro testiculo statim a natiuitate castrant, et quidem ideo, ne infrugifera terra plures, quam alere possit, incolas recipiat. Haec demonstrant per experientiam, quod monorchides ad generationem non sint inepti. Nam sanguis per arterias spermaticas, et spiritus, per neruos libere circulantes, in altero testiculo sufficientem materiam seminis ad generationem suppeditant, et sane in nullo scriptore medicinae forensis monorchis propter impotentiam accusatus reperitur. Potentiam generandi insuper in monorchide confirmauit exemplis REGNERVS de GRAAF, *tract. de virorum organis generationis pag. 7.* G. WEDELIVS, *miscell. naturae curiosorum, anno 2. obseruat. 256.* et in hisce collectionibus alia plura exempla reperiuntur v. g. anno 4. et 5. obseruat. 13. anno 3. obseru. 66. item in VALENTINI *nouell. medic. legalibus casu quarto.*

9. Qu.

9. Qu. *An triorchides, tetrorchides, pentorchides, siue, qui tribus, quatuor, quinque armati sunt testiculis, alios potentia coëundi et generandi superent?*

De existentia eiusmodi subiectorum nemo dubitare debet, quod statim in limine monendum. Nam obseruationibus illa confirmatur. Sic de Triorchide reperiuntur exempla apud FORESTVM, *in obseruationibus medicis, Lib. 27.* obseru. 15. BORELLVM, *Centur. 2. obseruat. 60.* de GRAAF, *l. c. pag. 8.* SCHVRIGIVM, *spermatologia C. 2. thesi 23.* ROLFINCK. *de partibus genitalibus, part. 1. Cap. 11.* Tetrorchidum et pentorchidum exempla prostant apud BARTHOLINVM, *in Anatom. Lib. 1. Cap. 22.* BLEGNY, *Zodiaco medico Gallico, anno 1. febr. obseruat. 2. M. N. C. anno 5. et 6. obseru. 89.* De his omnibus vero Celeb. LANGIVS, *in Physiolog. thes. 36.* ita iudicat: Quibus plures quam duos testes concessit natura, illi ordinarie laborant copia seminis, hincque vix coitu multiplici exhauriuntur. Idem testatur LEALIS, *exercit. part semen conficientibus*, quod nempe sint feruidae et indomitae libidinis Attamen nec hanc regulam perpetuae veritatis esse, ratio docet et experientia confirmat. Sic iuuenis bonae valetudinis 25. annorum, triorchis, B. MERCKLINO vltro fassus est, se per omnem vitae suae decursum neque membri virilis erectionem sensisse, neque vnquam venerei amplexus expertum esse stimulum. Vid. *M. N. C. anno 7. et 8. obseruat.* 211. Nam cum semen a sanguine dependet, ideo non semper seminis elaboratio in solo testium habitu et multitudine, sed potius in reliqua corporis constitutione quaerenda, id quod VENETTE, *in tabula amorum, part. 1. cap. 2.* insimul confirmat. Idem *de generation. homin. part. 1. cap. 1. §. 11. pag. 6.*

10. Qu.

10. *Qu. An* κρυψόρχιδες, *siue illi, quibus testiculi, vacuo scroto, vel in inguine, vel in abdomine latent, ad generationem apti et ad matrimonium admittendi sint?*

ZACCHIAS, *Q. M. L. lib. 9. tit. 3. qu. 6.* et RIOLANVS, *in Enchirid Anat. lib. 2. cap 35.* putat, quod testes, dum in situ peccant, hominem sterilem, et ad matrimonium validum minus aptum reddere soleant. Ast testes, in inguine siti, non semper ita comprimuntur, coarctantur, et constanter flaccidi, atque admodum parui manent, vt semen in illis minus prolificum praeparetur. Hoc enim inter alia confirmat historia, a ROLFINCK. *tract. de partibus genitalibus, part. 1. cap. 5.* relata: Scilicet vir quidam in magno honore habebatur a mulieribus, quoniam in venereo duello *se strenuum exhibere poterat* militem, et tamen testes nullos habere videbatur. Spem quoque concipiebant ancillae non coniugatae, illum sic fore sterilem, neque se impraegnatum iri. Cum vero ad supplicium tandem propter varia crimina ductus et decollatus esset, prosector, testes in inguine reconditos, obseruauit. Argumento hoc est, addit dictus auctor, *Testicondos* salaciores esse reliquis, quibus testes sesquipede longius extra abdomen propendent. Item BARTHOLOMAEVS CAROLINVS, Monspeliensis academiae Anatomicus, in suis historiis recenset obseruationem de iuuene 22. annorum, de quo parentes, quoniam natura testiculi in illo deficiebant, dubitarunt, an ad matrimonium, an ad munus ecclesiasticum aptus sit. Medicus vero matrimonium commendauit, in quo complures quoque genuit filios. B. MOEBIVS, qui hancce allegat quoque historiam, in *fundamentis medic. physiologicis, pag. 464.* addit, quod hic iuuenis dubio procul testes, in abdomine latentes, habuerit. Certum ideo est, testi-

testicondos coire et generare posse. Hinc, quando talis testicondus a virgine, vel meretrice de crimine stupri et impraegnationis accusatur, atque vel ad matrimonium, vel ad infantis sustentationem condemnari debet, semper videndum, an, pro excusatione et defensione sua, sufficienti argumento generandi impotentiam ex vacuo scroto, et plenario testiculorum defectu probare possit. Si enim non est castratus, id quod cicatrix in inguine et scroto comprobabit, tunc testicondus esse dicendus est, hincque ad generationem aptus praesumitur.

CAP. XVI.

DE IMPEDIMENTIS COEVNDI ET GENERANDI EX PARTE MVLIERIS.

Quomodo potentia coeundi turbetur in sexu sequiori?

Debitum coniugale, vel coitus, turbatur et impeditur etiam culpa foeminarum variis modis. 1) Quando tanta corporis infirmitate correptae sunt, vt debitum coniugale praestare nequeant, vel propter latentem aegritudinem cognosci non possint. D. SIMON, *de Impotentia Coniug. Cap. VI.* §. 6. Quando prolapsus vteri et vaginae adest. ZACCHIAS, *L.* 3. *T.* 1. *Q.* 2. et HEMMING. *de diuortii caus.* Nam vterus, ita laxatus, et in situ suo mutatus, mentulam commode recipere non potest. Obex enim illi ponitur insuper vel globulis, vel annulis, vel pessariis, pyri formam habentibus, vel

vnculis, quibus machinis vterus intus in corpore fustinetur. 2) Ob matricem penitus destructam, vel deficientem. 3) Huc pertinet fluor albus, ac fluxus mensium nimius et continuus. Ita enim non tantum gratia coitus et appetitus venereus extinguitur, sed etiam mariti corpus variis obnoxium morbis redditur. Vid *Casum* 36. *Centur.* 2. *medicin. forens.* ZITTMANN. Accedunt 4) vlcera sordida, foetida, cancrosa, maligna, vteri, vaginae et pudendorum, quae non tantum voluptatem foeminae tollunt, sed in marito nauseam ad exhibendum debitum coniugale creant, coitumque insimul ipsum dolorosum et periculosum reddunt. Hinc non sine ratione a nonnullis Canonistis coitus cum tali impura pro peccato habetur. 5) Huc pertinet conformatio hermaphroditica, siue clitoridis nimia elongatio, vel praeternaturalis huius organi increscentia. ZACCHIAS, *L.* 7. *tit.* 1. *Qu.* 9. et *L.* 3. *tit.* 1. item D. SIMON. *Cap. VI.* §. 6. *n.* 3. 6) Impotentiam conciliat, si propter naturalium nimiam latitudinem mulier cognosci minime potest. SANCHEZ, *de Matrimon. Tom.* 2. *lib.* 7. *Disput.* 92. Quo suo modo pertinet ruptura perinaei, a partu difficili facta, et male curata. Secus vero est, si foemina semen recipere potest, sed non continere, quia tunc consummatur matrimonium, et coniuges vna caro efficiuntur, foemina autem modo sterilis est. 7) Quando foemina clausa et imperforata existit, aut nimis arcta est, ita, vt nec mulier fieri, nec aliqua arte iuuari possit, notante VLPIANO, *lege* 14. §. 7. *ff. de Aedilit. edicto*, et ZACCHIA, *Lib.* 2. *tit.* 3. *Qu.* 13. *n.* 23. Fiunt imperforatae aliquando natura, aliquando casu superueniente, ex aliquo adquisito morbo, vt vlcere, aut inflammatione indurata ad os vteri.

Consistunt vero eiusmodi vitia 1) in laborum vuluae coalitu. 2) In connexione nympharum. 3) In connexione Caruncularum myrtiformium firmiori, vel nimia hymenis soliditate, vbi Carunculae myrtiformes fortioribus atque solidi-

ſolidioribus inter ſe inuicem coniunguntur ligamentis, qualia exempla occurrunt varia apud chirurgiae ſcriptores. In eiusmodi ſtatu probe attendendum, an malum ſit ſanabile, an vero non: Si eſt ſanabile, tunc matrimonium non diſſoluitur; Si non eſt ſanabile, matrimonium vtique diſſoluendum. Minus ſanabile malum autem eſt, quando vagina vteri in ſuperiori parte circa orificium vteri internum clauſa exiſtit, vel quando orificium vaginae clauditur craſſa quadam carnoſa ſubſtantia. Nam eiusmodi mala manu Chirurgi haud tractari poſſunt. Quando vero arctitudo dependet a membrana quadam tenui, tunc ſectio concedenda. Eiusmodi enim operatio et ſectio in malo exiguo neque inflammationes, neque exulcerationes periculoſas atque lethales efficere poteſt. In caſu autem, vbi foemina eiusmodi operationem et ſectionem permittere non vult, matrimonium vtique diſſoluendum.

Hic non mouebimus quaeſtionem, an mulier arcta incifionem pati reſpectu mariti obſtringatur? SANCHEZ *de matrim.* 7. *Diſſ.* 93. et alii, hoc affirmant, ex hac ratione, quoniam in matrimonio vxor ius ſui corporis transtulit in virum. Interim probe ſemper diſtinguendum inter clauſuram plenariam et arctitudinem. Clauſura enim fit, vti dictum fuit, vel quando latera vaginae cohaerent plane, vel quando aditus ad vaginam per membranam ſolidam carnoſam, in medio tantum exiguo hiatu perforatam, clauditur.

Arctitudines vero non vno ſeſe habent modo ad omnes mentulas. Sic v. g. mentula nimis craſſa non intrare poteſt in antrum virginis, natura arctum, et mentula debilis ac minus robuſta vincula virginalia quoque diſſoluere non poteſt. Hoc confirmat exemplum *medicinae forenſis Lipſienſium, Cent.* 6. *caſu* 29. vbi mulier, aliquo modo arcta, a marito debili non poterat cognoſci, Medicus, et iuratae obſtetrices,

innocentem hancce pro claufa habebant, Confiftorium, nixum hoc fundamento, matrimonii refciffionem fufcipit, mulier autem, a marito relicta, admittit alium, qui eam vno coitu fine moleftia impraegnat. Foemina, a iudicibus quaefita, cur alii corpus fubiecerit, refpondebat, quod hoc fecerit ideo, quoniam inhabilis ad matrimonium fuerit declarata. Commendo hac occafione monitum Cl. STRYKII *de iure fenfuum*, *differt.* 1. *Cap.* 1. *thef.* 55. quod nempe in cafu dubio, ne fallatur magiftratus, vterque fexus fit infpiciendus, vt proportio appareat.

An denique, propter fterilitatem coniugum, aliosue cafus fortuitos, matrimonium fit diffoluendum, fufe pertractauit D. SIMON, *l. c. Cap.* 7. ad quem beneuolum lectorem remitto.

CAP. XVII.

DE MORBIS FICTIS, SIVE SIMVLATIS.

I. Qu. *An, et quare detur morborum fimulatio?*

Varii dantur cafus, in quibus homines malitiofi certos morbos fimulant, ac variae huius fimulationis funt caufae, quae a IO. BAPTISTA SYLVATIC. *in Lib. de his, qui morbum fimulant*, *Cap.* 2. ad tria potiffimum capita reducuntur. Nempe alii fimulant morbos propter timorem, alii propter verecundiam, alii propter lucrum. Hifce accedit quartum hominum fceleftiffimorum genus, qui propter fanctimoniae opinionem morbos fingunt ecftaticos, aliosue conuulfiuos, dum

dum nempe pietate prophetica se celebres reddere conantur, quo pertinet enthusiasmus, vel Chorea S. Viti.

Qui ex timore fingunt morbos, vel tormenta declinare, vel poenas corporis afflictiuas euitare student. Hinc se mente captos, aut insanos fingunt, argum. *L. congruit. §. furiosi & L. seq. ff. de off. praesid.* Alii ad onera effugienda furentes se simulant, vt notatur *per L. obseruare. ff. de curat. furios.* Alii ad immunitates obtinendas, aut ad coadiutores sibi in curis animarum adsciscendos morbos fingunt. Alii hoc faciunt, vt in iudicio comparere non cogantur, aut vt a carceribus liberentur. Sunt et alii, qui propter ignauiam, mendicare, quam laborare malunt, et aliorum misericordiam sibi conciliare; hinc varios morbos fingunt, de quibus vero deinceps. Huc pertinet tandem ficta impotentia, virginitas, impraegnatio et partus.

2. Qu. *An, et quomodo morbus fictus a vero sit distinguendus?*

Sicuti omnes morbi ex certis signis apparent: Ita fere impossibile est, morbum diu simulare, inprimis illum, qui in sensus incurrit, et signa habet euidentiora, et illum, qui febrim coniunctam habet, et acutus est atque periculosus. Plerique morbi ficti sunt interni, rarissime finguntur externi, exceptis paralysi membrorum, et vlceribus chronicis articulorum. Quoniam vero eiusmodi hominum nefandorum malitia reprimenda est, ideo Iurisconsulti Medicorum implorant iudicium, ad quos hocce negotium quoque primario pertinet.

Artificium autem simulatos morbos manifestandi sequentibus comprehenditur. 1) Probe annotanda est personae conditio, status et mores, an v. g. de ignauia sit suspecta, an in iudicium trahenda, an tormentis subiicienda, etc. 2) Morbi ficti historia conferenda est cum historia morbi veri, di-

ſpiciendum nempe, an omnia ſigna pathognomonica inſimul adſint. 3) Examinandae ſunt cauſae, habitus corporis, aetas congrua, diſpoſitio haereditaria, vita ante acta, morbi antecedanei, morbi duratio, tempus, quantitas, modus, ſubiectum, in quo morbus primario exiſtit. 4) Concluſio formanda ex ſymptomatibus adiunctis et ſuperuenientibus: Nam omnis morbus ſicuti dependet a certis cauſis ; ita etiam certis concomitatur ſymptomatibus. 5) Concludendum ex difficiliori, vel faciliori medicamentorum admiſſione atque effectu. 6) Ad detegendas impoſturas multum quoque confert exploratio pulſus, et vrinae inſpectio. Pulſus enim ſignum eſt motus cordis, hincque ſtatum et motum ſanguinis manifeſtat. A ſagacioribus quidem ipſe pulſus poteſt mutari atque turbari per vincula et ligaturas, quibus membra, brachia et pedes conſtringuntur. Hinc pulſus non tangendus tantum in loco ordinario, hoc eſt, in carpo, ſed et circa tempora, alibique. Porro pulſus mutatur per affectus, item vſu remediorum volatilium, quae maſſam ſanguineam exagitant atque rarefaciunt. Aſt eiusmodi pulſus diu non durat, quoniam ipſa cauſa mox ceſſat. Videndum quoque, an in pulſu vehementi, duro et celeri inſimul ſint ſigna alia febrium, v. g. calor exceſſiuus totius corporis, rubor faciei, ſomnus denegatus, appetitus proſtratus, lingua arida, ſitis, etc. ex quibus indiciis, collectiue ſumptis, facile morbus verus a ficto diſtinguitur. Tandem vrina quando examinanda venit, in praeſentia Medici erit emingenda, ne additamentis adulteretur. In inſpectione vero eiusmodi vrinae, iuxta communem methodum, reflectendum partim ad quantitatem, partim ad conſiſtentiam, partim ad colores, odores ac denique ad contenta. Sic interdum, teſte ZACCHIA, *Q. M. L. lib.* 3. *tit.* 1. *Qu.* 2. loco vrinae oſtenditur vinum, hydromel, vel vrina ſanguinolenta redditur, vſu ficus indicae et cantharidum, vel aſſumptorum, vel extus applicatorum, quod tamen ſine vitae periculo interdum vix fieri poteſt.

3. Qu.

3. Qu. *Quinam morbi in specie per fraudem simulantur?*

Varii, et nominatim *febris, vlcera, cachexia, stultitia, dolor, syncope, apoplexia, epilepsia, ecstasis, obsessio.* Nemo vero malitiosus tanta temeritate est, vt eos simulare audeat morbos, qui cum vitae periculo coniunguntur. Et haec est ratio, quare rarissime simuletur 1) *febris.* Quicquid tamen sit, febris interdum saltem fingitur, teste ZACCHIA, *L.* 3. *tit.* 1. *quaest.* 3. quae promouetur *torpedine* et *cantharidibus.* Est enim torpedo piscis Insulae Zeilan, qui, manu apprehensus, in illo febrim accendit, qui eum tetigit. Huc pertinet, iuxta RVELLVM, *de natura stirpium L.* 3. *Cap.* 107. et MATTHIOLVM, *in Dioscoridem L.* 4. *Cap.* 64. semen *Alterci* (est species Hyoscyami) quod epotum non tantummodo febrim commouet, sed et mentem turbat, et quasi phreniticos homines facit. Iuxta SYLVATICVM, l. c. febri corripiuntur illi, qui *cornuti scarabaei oleum coctum* pulsibus, vel *allium* in ano applicant. Huc pertinent omnia rarefactiua remedia calida ignea, aromatica, quae massam sanguineam expandunt et commouent, eamque calore suo accendunt. FORTVNATVS FIDELIS, *lib.* 2. *de relationibus medic. Cap.* 2. huc refert decoctum *Mandragorae* cum vino, quod tamen tantummodo narcoticum est, et stuporem, imo et delirium praestat, quo pertinet et *semen Daturae verae Indicae*, item *opium*, ac omne *genus solani*, quae stupefacientia et narcotica sunt remedia, de quibus vero alibi. Notandum vero, quod eiusmodi simulata febris minime constans sit, et se habeat, vt ephemera, hoc est, spatio 24. horarum, vel, iuxta non nullos, trium dierum ad summum finiatur. Quae vero febris altius radices egit, diutius durat, et non facile cedit remediis adhibitis, illa simulata vix dici potest. Commendandum ideo examen omnium circumstantiarum, quae partim in sensus incurrunt, partim sollicita indagatione eruuntur.

Fingun-

Finguntur 2) *vlcera*, quae corrosiuis et vrentibus remediis producuntur, quo pertinent et tumores, inprimis inflammatorii. Sic v. g. GALENVS, *Lib. de morbis fictis*, historiam refert de seruo quodam, qui, cum domino suo longum iter facere noluit, per *Thapsiae* applicationem tumorem pedis excitauit. Item historiam narrat PARAEVS, *L.* 24. *Cap.* 18. de cancro mammarum, singulari artificio simulato, splenis vaccae frusto nempe mammis perbellae adaptato et agglutinato, quod, dum ex fusco rubram et fungosam refert substantiam, cancrum verum aemulatur. In eiusmodi vlceribus fictis consideranda et lynceis oculis perlustranda est eorum natura, et materiae exstillantis conditio, an pus, an ichor, an sanies sit. Considerari porro debet tota corporis dispositione, an cachectica, an cacochymica sit. Oriuntur enim plerumque eiusmodi vlcera ex sanguinis impuritate. Tentanda quoque sunt debita medicamenta. Si enim vlcera a laesione externa dependent, non vero ab impuritate sanguinis, facile sanantur. Vlcera contra maligna, et ex sanguinis vappescentia atque corruptione orta, difficillime consolidantur.

3) Simulatur interdum *cachexia*, vbi color faciei viuidus mutatur in liuidum, albidum pallidumue. Quando vero faciei color malitiose adulteratur, videndum, an reliqua quoque signa huius morbi consentiant, qualia sunt appetitus prostratus, ventriculi dolor, tumor pedum, obstructiones atque dolores hypochondriorum, etc. Fingitur autem et pingitur facies fuco ex pigmento terreo, vmbra dicto, item radice curcumae, quo modo mentiuntur inprimis cachexiam ictericam. Porro hoc suscipitur suffitibus ex sulphure atque cumino, cuius decoctum etiam haustum idem praestat, testante DIOSCORIDE, *L.* 3. *Cap.* 60. Talis vero fucus, externe applicatus, lotione, aqua hordei cum aceto, aliisue lixiuiis abstergentibus facta, facile tollitur.

4) Si-

4) Simulatur quam frequentiſſime *inſania*, et virorum ſapientum quoque proſtant exempla, qui hoc fecerunt, ob laudabilem finem, vti Dauidis inſania ſimulata in ſacris, et Vlyſſis in profanis hiſtoriis memoriae prodita eſt. Quando vero eiusmodi morbus fictus examinatur, inueſtiganda eſt eius eſſentia. Eſt enim duplex genus deliriorum: Vnum acutum, cum febri et inflammatione coniunctum, quo pertinet *phrenitis*, *paraphrenitis*, *cynanthropia*, ſiue *rabies canina*, vel *hydrophobia*, aut *lycanthropia* et in Apulia contingens *tarantiſmus*; alterum chronicum, *mania* et *melancholia*. Primum genus vix ſimulatur, ob multarum circumſtantiarum concurſum, quo facile ipſa vita periclitatur; ſecundum vero frequentius. Eſt vero melancholia delirium, cum triſtitia et metu coniunctum, in quo aegroti hominum, praecipue gaudentium et laetantium, conſortia fugiunt, intra ſe loquuntur, ſuſpirant, et lacrymas fundunt ſine cauſa manifeſta, dubitant de vita aeterna, vix dormiunt, et alimenta deſiderant. Maniaci contra ſunt furioſi, et in perpetua actione conſtituti, fortes inſimul aut potius audaces, cum iracundia alios laedunt. Melancholici vero ſibimet ipſis manus violentas applicant. CELSVS, a MENOCHIO, *L. 6. praeſ.* 45. *n.* 3. citatus, ita maniacos et melancholicos deſcribit: Ex Phreniticis, inquit, alii hilares, alii triſtes ſunt, alii intra verba deſipiunt, alii violenti ſunt. Datur inſuper tertium ſtultorum genus, quod conſtituunt *amentes*. Hi tolerabiles ſunt, neminem laedunt, interdum clamant, mox corpus inepte commouent, variis cum geſticulationibus ſaltant, confuſe loquuntur, et verum ac perfectum rationis vſum non poſſident. Horum, iam recenſitorum, morborum cauſae ſollicite quoque conſiderandae ſunt, videndumque an malum ſit haereditarium, an productum a febribus intermittentibus diuturnis, aliaue viſcerum chronica et praua diſpoſitione, vt cachexia, obſtructione hypochondriorum hepatis atque lienis. Omnis enim melancholia et mania morbus eſt, qui non ex improuiſo oritur,

S

tur, ſed ſuccesſiue, intra notabile temporis ſpatium. Nec minus ſigna ſunt luſtranda. In omni enim delirio chronico facies pallet et liuet, oculi ſunt excauati, retracti, fixati, ac circulo fuſco circumducti, omnesque moleſtias perferre poſſunt delirantes. In ſpecie autem maniaci nudo corpore iniurias aeris frigidioris non ſentiunt, omnia inſuper veſtimenta dilacerant. Sic et ex inſaniendi modo veritas apparet. Qui enim reuera delirant, vtplurimum circa vnum obiectum ſemper ſunt occupati, & de hoc loquuntur, v. g. ſe mortuos eſſe putant, vel paſſeres in cerebro ſibi fingunt, ſe principes eſſe, affirmant. Delirantes vero ficti varia confuſe miſcent. Tandem vires medicamentorum in tali ſubiecto ſunt tentandae. Nam veri maniaci et melancholici a purgantibus et vomitoriis fortioribus, in notabili doſi exhibitis, vix mouentur: Quando vero minor doſis medicamentorum leniorum exoptatum praeſtat effectum, tunc merito eiusmodi inſania pro ficta erit habenda. De inſania plura in egregia Celeb. THOMASII *diſſert. de praeſumtione furoris atque dementia, Reſp. Sperlette*, legi merentur, quam ICtis pariter ac Medicis perlegendam commendo.

5) *Dolor* fingitur frequentiſſime ab iis, qui fraudulenter, ſe aegrotare, ſimulant, quod figmentum etiam quam optime ſuccedit, dum nemo de dolore iudicare valet, niſi, is, qui dolorem ſentit. Ne ergo Medicus prudens, ad examinandum vocatus, decipiatur, ſequentia conſideranda ei incumbunt. 1) Pars, quae dolet. 2) Cauſa doloris. 3) Doloris ſpecies et duratio. 4) Symptomata et effectus doloris. 5) Remedia adhibita, vel adhibenda. Partes enim, quae dolere ſimulantur, ſunt vel caput, vel thorax, vel abdomen, et in illo ventriculus, inteſtina, renes, veſica etc. Partium enim externarum dolores rariſſime finguntur, partim quoniam iudices eiusmodi dolores non curant, partim quoniam, vtpote ab obſtructione vaſorum ſanguiferorum et lymphaticorum depen-

dependentes, vel ex tumore rubente et calente, vel tumore aquoſo et pallente, facili negotio diiudicantur.

Partium, ſupra recenſitarum, dolores inſuper ſpecialibus concomitantur ſemper ſymptomatibus, v. g. in capitis doloribus adſunt vigiliae, inquietudo, triſtitia, vertigo, febris, imo interdum delirium. In doloribus pectoris obſeruatur tuſſis, reſpiratio difficilis, ſputum cruentum et purulentum, etc. In dolore ventriculi adeſt appetitus proſtratus, ructus, vomitus, lipothymia. In dolore inteſtinorum ſeſe manifeſtat flatulentia, ſtrepitus in abdomine, diarrhoea, aut interdum alui extraordinaria obſtructio. Dolentibus renibus et veſica, praeter iam recenſita ſymptomata, vt ſunt vomitus et nauſea, iungitur ardor, rubor et ſedimentum turbidum atque cruentum vrinae, aut vrina plane non euacuatur, aut tantum guttatim ſummis cum conatibus excernitur. Omnes hi iam recenſiti dolores inſuper plerumque non ſunt periodici, hoc eſt, certo tempore recurrentes, ſed conſtantes potius, et nocturno tempore maxime exacerbantur.

Dolorum ſpecies variae ſunt. Etenim ratione gradus ſunt dolores vel vehementes, vel mediocres, vel leues. Haec diſtinctio in medicina legali primario locum habet, quando v. g. homo propter dolores ex carceribus eſt eximendus, vel ab oneribus liberandus, vel quando ei concedenda ſunt certae immunitates. Leuis enim morbus non impedit hominem, quin actiones ſuas exercere poſſit, *per L. quaeſitum ff. de re iud.* et leuis morbus non eſt dignus nomine morbi, argumento *L.* 1. §. *ſed ſciendum ff. de aedilitio edicto.* Porro doloris duratio eſt vel longa, vel breuis. Raro vero dolores, exceptis doloribus maximorum et evidentiſſimorum morborum, diu durant. Hinc ſi quis de dolore quodam conqueratur, et iam per aliquot dies eos ſe toleraſſe affirmat, nullo apparente euidente ſymptomate, huic fides non habenda, monente ZACCHIA, *L.* 3. *tit.* 3. *Qu.* 4. Diu autem durantes

rantes dolores alios morbos producunt periculoſos atque lethales, vt inflammationes, ſuppurationes, paralyſes, apoplexias, contracturas, etc. Sic porro videndum, an dolor ſit grauatiuus, pungitiuus, pulſatilis, roſiuus, tenſiuus, et an talis dolor, in hac vel illla parte, ab hac vel illa cauſa ortus, ſit poſſibilis. Iuſuper attendendum, an adſint etiam neceſſaria ſymptomata. V.g. vbi dolor, ibi imbecillitas et virium lapſus, vel exceſſiuus calor, vel extremorum frigus, pulſus irregularis, ſitis aucta, appetitus et ſomni defectus, vrina turbata. Quando haec non adſunt, dolorem vehementem non adeſſe, concludendum. Tandem proponenda ſunt et applicanda remedia. In doloribus enim vehementioribus aut larga venae ſectio inſtituenda, aut cauteria, veſicatoria, ſcarificationes applicantur. Si aegrotus talia admittere non vult, de exiſtentia dolorum dubitandum Tentanda quoque ſunt alia mitiora, qualia ſunt bezoardica, cephalica, pectoralia, ſtomachica et carminatiua, vterina quoque. Si poſt applicationem horum, cum anodynis mixtorum, remediorum ſtatus morbi non mutatur, hoc eſt, vel imminuitur, vel grauior redditur, de morbi veritate dubitandum.

6) Simulantur morbi ſenſuum et motuum, quo pertinet ſimulata *ſyncope*, *apoplexia*, *epilepſia*, *ecſtaſis*.

Syncope grauior eſt lipothymia, *eine ſtarcke Ohnmacht*, in qua ſubito motus et ſenſus ceſſant, facies pallet, pulſus quoque, tum cordis, tum arteriarum, immo et reſpiratio, vix percipitur. Nam ceſſat in hoc morbo circulatio ſanguinis. Quoniam vero haec ſigna eſſentialia vix ſimulantur, ideo talis morbus fictus ſtatim a Medico dignoſcitur. *Apoplexia* cum ſyncope quoad ſigna fere conuenit. Nam ſenſus et motus ceſſant, facies rubet interdum, nec pulſus, nec reſpiratio plene extinguuntur. Aſt quoniam apoplexia vel in mortem, vel in perpetuam paralyſin huius vel illius partis, vel in hemiplexiam, vel in mutitatem, ſurditatem, coecitatem, aut mentis ſtupiditatem, reſoluitur, ideo

ideo in ipſo euentu veritas, aut falſitas, apparebit. Nil dicam de remediis, in ſyncope et apoplexia applicandis, qualia ſunt venae ſectiones, cauteria ignea, ſiue inuſtiones partium, vellicationes, verbera et vrticationes, ſternutatoria, errhina volatilia, quae quando in ficta applicantur ſyncope et apoplexia, immo ipſa *paſſione hyſterica mulierum*, facile eiusmodi malitioſum hominem excitare poſſunt. Impoſſibile enim fere eſt, horum vim arte reprimere, et corpus inſenſile reddere.

Fingitur *epilepſia* interdum, quae probe examinanda, inprimis in motibus ipſis, videndumque, an conuulſio talis ſit tantummodo antrorſum, an retrorſum, vti in opiſthotano et emproſthotano, an adſit talis membrorum rigiditas et motus vehementia atque conſtantia, qualis in epilepſia vera adeſſe ſolet, an os ſpumeſcens cum eiulatu adſit, an medicamenta errhina fortiora applicata morbum mutent, an etiam cauſa adſit adaequata huius morbi, immo an reliqua ſigna conſentiant, v. g. an adſit tumor faciei durante paroxyſmo, item et pulſus mutatio. Vid. FRIDER. HOFFMANN in *medic. conſult. part.* I. *decad.* II. *caſ. IV. de epilepſia ſimulata euitandae torturae cauſſa dignoſcenda*, *pag.* 67.

Ecſtaſis ab hypocritis fingitur ad homines decipiendos, et ſanctitatem nominis ſibi conciliandum. Vulgus enim, fraudis neſcius, raptum illum, non adeo viſui frequentem, tanquam rem ſupernaturalem et miraculoſam, admirans, eos veneratione dignos iudicat. Huc pertinet ſuo modo *die Mucker-Kranckheit.* STENTZEL de *philtris rite examinandis et diiudicandis §. XXI.* Notabile eſt ZACCHIAM, vtpote Romano-catholicum, deridere eiusmodi homines credulos, qui ita decipiuntur. Inquit enim, *L.* 3. *tit.* 2. *Qu.* 7. *num.* 8. Vidi ego mulierem, mihi ſatis notam, quae ſe, vbi frequens hominum coetus in templis ſacrisque locis conueniſſet, raptam in ecſtaſin effingebat, omnium cum admiratione. Sta-

bat extensis brachiis, in crucis modum, palpebris immobilibus, oculis fixis, et per horae spatium ac vltra eo in actu perseuerabat. Interdum, veluti ad coelum volatura, et in aerem se eleuatura, corpus attollebat, illud mirum in modum extendens. Sed admirationem omnem superare mihi visum est, quod vultum in mille colores vel ictu oculi commutaret: Nam modo rubescebat, et quasi ardore quodam incendi videbatur, modo adeo pallescebat, vt quasi emortua langueret, denuo, ac dicto citius, rubore perfundebatur, ac denique, veluti animo deficiens, ad seipsam redire simulabat, ita, vt circumstantes omnes eam, diuino raptu prehensam, pro sancta venerarentur, et ad illius vestimenta, deuotionis ergo tangenda, quaecunque mulierculae et homunciones aderant, turmatim accurrerent, non sine mei ipsius risu, et multo maiori, vt credo, ipsiusmet foeminae derisu, quam ego quidem intus et in cute agnoscebam. Erat autem Sicula.

Ante biennium fere etiam in Nouellis publicis curiosa exstabat obseruatio duorum sacerdotum in Gallia, qui in Missa, et inprimis in ipsa eleuatione, ambo cataleptici redditi sint. Praesentes omnes dicebant, hoc esse miraculum, Medici vero vocati contrarium demonstrabant.

Fingitur interdum *obsessio*, vel per malitiam, vel per simplicitatem et morbum. Sic Romae quotannis, die viridium, dieque parasceues, tales obsessi a sacerdotibus Carthusianis, aliisue, publice magna in copia curantur, vbi diaboli reliquiis, aliisue consecratis rebus, expelluntur. Ast talis obsessio fingitur, et per hancce simulationem superstitio conseruatur et propagatur, malitiosi vero eiusmodi homines eleemosynas magna in copia ita colligunt. Qui autem veram obsessionem a falsa distinguere cupit, ille ad sequentia respicere debet. 1) Obsessi veri non solum per os, sed et per aliam partem voce articulata et distincta sermonem

pro-

proferre possunt. 2) Colloquia instituunt lingua exotica, quam tamen nunquam didicerunt. Hoc signum, vtpote praecipuum et pathognomonicum, non sine ratione indicat Beatus noster WEDELIVS, in *Pathol.* sua *dogmatica, Sect. II. Cap.* 7. *p.* 269. 3) Cogitationes aliorum hominum interdum manifestare possunt. 4) Sciunt ea, quae extus aguntur. 5) Varia extraordinaria suscipiunt, quae contra leges sunt naturae. Quod vero blasphemias attinet, notandum, eas non esse signa genuina obsessi. Omnes etenim delirantes, quales sunt phrenitici, melancholici, inprimis vero maniaci, hocce vitio plerumque laborant.

CAP. XVIII.

DE MORBIS DISSIMVLATIS, SIVE CELATIS.

Celantur, siue dissimulantur morbi aut ad commodum impetrandum, aut ad damnum auertendum: alii enim dissimulant morbos, qui, quando apparent, matrimonium impediunt, quo pertinent impotentia coëundi et generandi, virginitas destructa et amissa, vel cum impraegnatione coniuncta; Alii dissimulant morbos, ne remoueantur a muneribus publicis, vel a societate quoque humana excludantur, quo pertinent inprimis morbi contagiosi. De impotentia coniugali, virginitate, impraegnatione, immo partu ipso dissimulato egimus iam alibi: In praesenti primario examinandi veniunt morbi contagiosi, qui per certa signa a Medicis dignoscuntur.

1. Qu.

I. Qu. *Quid contagium ſit, et quinam morbi contagioſi ſint dicendi?*

Contagium eſt venenum quoddam deſtructiuum, quod, ab vno homine in alium translatum, ſimiles ibi morbos praeſtat. Communicatur autem vel per immediatam contactum, vel per aërem, vel per veſtimenta, vel per ſupellectilia, vel per mercimonia, aut res promercales. Omne eiusmodi contagium virulentae eſt naturae, vimque habet agendi in corpus humanum, et eius partes deſtruendi. Agit nempe contagium in ſpiritus, ſiue fluidum nerueum, quod ita ſuffocatur, extinguitur et motum ſuum naturalem amittit; agit in humores, qui ita corrumpuntur, et putredine afficiuntur; agit in partes ſolidas, quae contabeſcunt, corroduntur, inflammantur, exulcerantur ac ſphacelo enecantur. Huc pertinent peſtis, et morbi, peſtilentiales dicti, vt variolae, morbilli, dyſenteria, febris Hungarica atque petechialis, purpura. Nec minus contagioſi morbi ſunt ſcorbutus, rabies, phthiſis et febris hectica, lepra, elephantiaſis, ſcabies omnis generis, lues venerea. Omnes hi morbi recenſiti, cum ſuis ſpeciebus, ſunt contagioſi, aliosque inficiunt. Et ſane non ſine ratione *Levitic. Cap.* 13. 14. 15. vbi de contagio agitur, Diuinum Numen varia praecepit, quae, ad adhibendam cautionem atque diligentiam, illis neceſſaria ſunt, qui in ſocietate cum infectis viuunt. Nam ita ſonant verba de leproſis. *Alles Lager, darauf er liegt, und alles darauf er ſitzet, der Sattel, darauf er reitet,* item *worauf er ſeinen Speichel wirfft, die irdene und hœltzerne Gefæſſe, die er anrühret, werden unrein ſeyn. Wer was anrühret, das ein ſolcher Vnreiner gehabt, oder getragen hat, wird unrein ſeyn.* Commendantur ſimul lotiones et balnea, *daſs ſie die Hænde, Kleider und die Geræthe waſchen ſollen.* Per lotiones enim ſalia maligna (contagium enim, vel malignitas, conſiſtit primario in ſalino de-

ſtructiuo

ſtructiuo principio, conſentiente I. A. WEDELIO, in diſſert. de Contagio,) eluuntur, abſterguntur, extinguuntur. Et porro Diuinum Numen praecepit, *daſs das Haus eines Ausſætzigen ausgeræumet werde, ehe der Prieſter hinein gehet, damit nicht alles unreine werde, was im Hauſe iſt, und wenn der Prieſter befindet die Merckmahle des Ausſatzes an denen Wænden, ſollen die Steine ausgebrochen, und der Leimen abgeſchabet werden.* Huc pertinet ea immunditieS, quae ex contactu mortuorum oritur, de qua B. GACKENHOLTZIVS, Prof. olim in Acad. Helmſtad. eruditum ſchediaſma conſcripſit.

Omnes morbi contagioſi vel acuti ſunt, vel chronici. Ad acutos pertinet 1) *Peſtis,* quae febris eſt acutiſſima, ſumme maligna atque contagioſa, ideoque breui tempore homines extinguit, dum ſal virulentum, ſumme volatile atque acerrimum, ſubito corpus penetrat, atque peruadit maſſam fluidorum, eorumque circulum deſtruit et ſpiritus ſuffocat. De hac vero deinceps agendum. Haec peſtis in mitiori gradu generat morbos, vel febres alias malignas, quo pertinent

2) *Variolae*, peſtis illa infantium ſatis funeſta. Sunt vero exanthemata, ſiue puſtulae purulentae, cutem profunde exedentes, cum febri continua acuta coniunctae. Et quod ſint contagioſae, non tantummodo omnibus notum eſt, ſed et confirmatur per illam, praeſenti ſeculo inuentam, inſitionem, *das Blatter-Pæltzen,* de qua inter alia legi meretur tract. de hac doctrina editus celeberrimi VATERI, fil. Wittebergenſ.

3) *Morbilli, die Maſern,* qui maculae ſunt rubicundae, plerumque ſiccae, non nihil tumidae, per totam corporis ſuperficiem citra ſuppurationem efflореſcentes, cum febri acuta, pruritu et ardore coniunctae.

4) *Dyſenteria,* quae eſt febris admodum maligna, contagioſa, acuta et continua, cum inteſtinorum, inprimis tenuium, hinc et craſſorum, dolore intolerabili, inflammatio-

ne et exulceratione coniuncta, cui accedit insuper diarrhoea torminosa, tenesmus, crebrior euacuatio materiae, vel cruentae, vt in rubra, vel purulentae, vt in alba.

5) *Febris Hungarica*, petechialis et anginosa. Haec a patria, Hungaria, ita dicitur, item et castrensis, quoniam inter milites inprimis grassatur. Est febris acutissima, in cuius principio statim vehementissima apparent symptomata, qualia sunt horror et subsequens aestus ineffabilis, lassitudo, anxietas praecordiorum, inquietudo, intolerabilis capitis dolor, item et dorsi, vnde *die Haupt-Kranckheit* dicitur, tertio, vel quarto die accedit delirium phreniticum, inflammatio colli, in plerisque maculae apparent rubicundae purpureae, interdum liuidae et nigrae, paruae et magnae, quae nihil aliud sunt, quam carbunculi pestilentiales minores, accedit interdum etiam perpetuus sudor, siue calidus, siue frigidus, et tunc haec febris vocatur sudor Anglicus. Vid. celeberr. ZWING. *theatr. praxeos medicae*, *prag.* 323.

6) *Purpura*, siue febris miliaris. Vid. D. HAMILTON, Angl. tract. *de febr. miliar.* germ. *das Friesel.* Est febris maligna, puerperis, primis post puerperium diebus maxime, immo et infantibus iunioribus, exitiosa, quae sese manifestat maculis rubicundis, paulo post purulentam materiam contrahentibus, interim tamen circulo rubicundo constanter munitis, et grana milii magnitudine repraesentantibus. Quando vero nulla rubedo circa pustulas miliares apparet, dicitur purpura alba, *das weisse Friesel*, in qua vehementia malignitatis aucta magis est. De purpura scorbutica, vtpote chronica, nihil hic dicendum. Nam huc non pertinet.

7) *Rabies canina* etiam febris est maligna, acuta, cum angina, vel colli inflammatione, coniuncta. Nam saliua adeo corrosiua redditur, vt deglutitio absque summa molestia praestari nequeat. Ideo nec edunt, nec bibunt hoc morbo affecti-

affecti. Quarto, vel quinto die delirant, et ſeptimo plerumque moriuntur. Oritur hic morbus a morſu canis rabidi, hincque cynanthropia dicitur.

Omnes hi morbi febres ſunt acutae et contagioſae, a miasmate vel, vti veteres Chymici locuti ſunt, a contagio mumiali, hoc eſt, animali ortae, quarum ſigna ſunt horripilatio, aeſtus, ſitis aucta, appetitus imminutus, laſſitudo, dolor capitis et dorſi, agripnia, ſiue ſomnus denegatus, delirium, anxietas praecordiorum, conuulſiones, exanthemata, quae omnia ſpatio 5.7.9.15. vel 21. dierum plerumque contingunt, et hoc temporis decurſu vel finem vitae faciunt, vel ſucceſſiue ceſſant, et morbo finem imponunt.

Ad morbos contagioſos chronicos referri poteſt et debet. 1) *Scorbutus,* morbus, qui in Germania inferiori, Friſia, Holſatia, Pomerania, Hollandia, Dania, Suecia, Norwegia, primario graſſatur, et in cacochymia, humorumque corruptione et putrilagine conſiſtit, ex qua millena alia mala oriuntur, vti ſunt ſtomacace, ſiue ſcorbutus oris, foetor et putrilago gingiuae, maculae et exanthemata crurum, dorſi, pectoris, vel rubicunda, vel fuſca, vel purpureo-nigricantia, quo pertinent tubercula vrentia, *die Neſſel-Sucht*, eryſipelas, vlcera pedum chronica foetida, cum tumore oedematoſa duro renitente coniuncta, taceamus alia ſcorbuti diagnoſtica ſigna, ab illis, qui ſcorbuti hiſtoriam pertractarunt, allegata. Nam ſcorbutus plurium affectuum ſyndrome potius, quam vnus aliquis morbus dici meretur.

2) *Phthiſis,* quae exulceratio pulmonum eſt, coniuncta cum febri lenta hectica, et ſucceſſiua totius corporis contabeſcentia, tuſſi purulenta, ſputo cruento, reſpirationis difcultate, etc. Phthiſin enim non tantum contagioſam, ſed et haereditariam eſſe, teſtatur quotidiana experientia.

3) *Scabies* eſt exulceratio cutis contagioſa. Species huius morbi ſunt *tinea, der Erb-Grind*, ſcabies humida, vlceroſa, ſquamoſa et cruſtoſa, totam cutem capitis capillatam

corrumpens atque corrodens, cum doloribus pungentibus atque rodentibus, capillorum fere plenario defluuio, qui morbus a notabili et eminenti humorum acrimonia et corruptione proficifcitur. Huc pertinet a ZACCHIA, *Lib.* 3. *tit.* 3. *Qu.* 5. citata *alopecia*, quam particularem lepram vocat, item *ophiasis* et *achores.* Est vero alopecia affectus cutaneus, siue capillorum defluuium, non tantum in capite, absque manifesta exulceratione, sed et in barba, pudendis, dependens a corruptione humorum, et acredine succorum, glandulas subcutaneas, siue radices et bulbos pilorum in cute corrodente. Ideo citatus auctor alopeciam carnis superficialis corruptionem vocat. Ophiasis etiam est eiusmodi capillorum profluuium, quando capilli decidunt in linea, a temporibus per regionem occipitis ducta, quo pertinet et *area*, quando tale profluuium capillorum hinc inde, areatim quasi, in capite contingit. Non sine ratione ZACCH. *l. c.* ex sententia ibi allegatorum Medicorum, inquit, quod eiusmodi homines ad elephantiasin et lepram sint dispositi; tale enim profluuium capillorum character est malignitatis, et contagii chronici. Hinc in hecticis, et venereis affectibus, item febribus malignis, leprosisque subiectis contingit. Achores, siue crusta lactea, etiam a ZACCHIA citatur, sed fatetur insimul, quod sit morbus, manans ex lactis vitio nutricum. Confirmatur hoc quoque quotidiana experientia. Ergo morbus est non adeo malignus atque contagiosus, immo tantummodo infantibus, recens natis, proprius, ac facile curabilis. Hinc ICti huncce morbum non curant. Ad species scabiei insuper referri debet *psorophthalmia*, siue scabies oculorum, quo pertinet *lippitudo* oculorum, siue exulceratio palpebrarum in extremitatibus constans et chronica, item *pudendagra*, siue scabies pudendorum. A ZACCHIA quidem non citatur hic *gutta rosacea* faciei, *der Kupfer im Gesicht.* Haec enim exulceratio totam faciem inflammat, corrodit et turbat, hominemque omnibus nauseosum reddit, et

reuera

reuera quoque ſemina malignitatis in ſe continet, inprimis, quando componitur ex varis furunculoſis, calloſis atque confluentibus, quippe quibus profunde cutis corroditur, haud ſecus fere ac in *herpete.* Huc denique pertinet *ſerpigo, Schwind-Fleken,* ſcabies ſicca farinacea, non adeo maligna, faciem circa mentum inprimis contaminans.

Datur et alia ſcabies furfuracea, aſpera ac pruriginoſa, *pſora* dicta, quae, quando in capite exiſtit, *porrigo* ſalutatur. Huius oppoſitum eſt *ſcabies humida*, cruſtoſa, profunda et maligna, quae conſiſtit in puſtulis maioribus, vulgo *Brand-Blattern*, quae, quando aperiuntur, copioſam materiam purulentam fundunt. *Lepra Graecorum, ſiue elephantiaſis Arabum,* ab HAFENREFFERO, *lib.* 1. *de morbis cutis*, *Cap.* 15. ad genera ſcabiei refertur, nec immerito. Eſt enim foeda ſcabies, in qua pedetentim corporis partes cum foetore cadaveroſo emoriuntur. Hinc a quibusdam dicitur morbus S. Lazari. Affectus hic, adſpectu horrendus, profunde cutem, et ſubiacentem carnem, diuerſis in locis corrodit, depaſcit, findit atque vlceribus exaſperat, quae vlcera non cutem furfuraceam reddunt, vt in pſora, nec ad inſtar granorum milii ſeſe habent, vti in herpete miliari, ſed cruſtae hae ſe habent ad inſtar ſquamarum piſcium, pallidi, cinericii et ſubnigricantis coloris, quibus ablatis caro cruda et rubicunda conſpicitur. Interim hic morbus tanto pruritu aegrotantes moleſtat, vt vehementiſſima frictione non extinguatur, et quo magis ſcalpunt, eo magis exulceratur cutis, vngues ceterum ſumma aſpredine contaminantur, id quod extremam maſſae ſanguineae acredinem indicat. *Graecorum lepra, vel Arabum elephantiaſis,* graece σατυριασμὸς dicitur, quoniam homines, hoc malo afflicti, Satyris ſimiles fiunt vultu. Ob rugarum frontis ſimilitudinem quoque vocatur *leontiaſis*, cum leones ſimiliter corrugatam frontem poſſideant. Eſt ſcabies vel totius corporis, vel certae eius partis, maligna, ſicca, ſolida, ſquamoſa, vel alba, vel liuens, coniuncta cum tumore

partium cancroſo, breuiter, tota cutis pellem elephanti repraeſentat. Hic morbus dum quoque in extrema ſanguinis dyſcraſia, et ſuccorum nutrititiorum, ad necroſin diſpoſitorum, habitu conſiſtit, et tota machina deſtruitur, et homo *inſenſilis* et ſtupidus quaſi redditur, adeo, vt vix puncturam acus ſentiat.

Lues venerea, cum his fere conueniens, a nonnullis dicitur ſcabies Gallica. Et morbus admodum virulentus, qui a pudendorum vlceribus initium ducens, breui tempore per totum corpus diffuſus, omnes fere partes corrodit, ipſaque viſcera interna, totamque maſſam ſanguineam corrumpit.

Affectus venerei quidem omnes ſpecies ſunt luis venereae, interim tamen nonnulli morbi venerei luem veneream praeſtant tantum particularem, alii contra vero totalem.

Particulares venerei morbi, a congreſſu impuro orti, ſunt 1) *Gonorrhoea virulenta* vtriusque ſexus, quae eſt in ſexu maſculino vrinarii ductus, caruncularum ſeminalium et proſtatarum exulceratio, quae interdum ſatis diu durat, et in fiſtulas quaſi commutatur. Hinc materia, quae ita exſtillat, neutiquam pro ſemine habenda, ſed pus, vel ſanies eſt, prorumpens ex meatus vrinarii glandulis, et ductibus minoribus. In ſequiori ſexu quando gonorrhoea contingit, exulceratur vagina vteri, corroduntur lacunae, glandulaeque, in plicis vaginae deliteſcentes, et in nymphis exiſtentes. 2) *Caruncula vrethrae*, ſiue carnoſitas penis, ex gonorrhoea antiqua, neglecta et non recte curata, oritur, ac non tantum vrinae, ſed et ſeminis excluſionem impedire ſolet. 3) Contingunt *vlcera praeputii*, *glandis atque fraeni*, vulgo *der Schancker*, quae vlcera poſtea praeſtant. 4) *Phimoſin veneream*, ſiue *veſiculam cryſtallinam*, vulgo *den Spaniſchen Kragen*. Intumeſcit enim praeputium tumore quodam pellucido, in principio molli, quaſi oedematoſo, qui tractu temporis ſolideſcit, et calloſus redditur. 5) *Tumor teſtium*, ſiue *teſticu-*

lus

lus venereus, aut *hernia venerea*, oritur quoque a congressu impuro, vbi sal acidum, malignum, causticum, venereum, non tantummodo vasa testium et epidydimidum corrodit, sed et fluida, inibi existentia, in specie massam seminis, coagulat. Hic tumor in principio cum inflammatione coniungitur, et dolore interdum satis enormi homines excruciat, in aliis contra in scirrhum mutatur, irresolubilem fere. 6) *Bubo venereus* est tumor glandularum inguinalium, qui, quando *verus* est, ad inflammationem et suppurationem inclinat, cum salutari tamen euentu. Virulentia enim ita educitur. *Spurius* autem in scirrhositate harum glandularum inguinalium magis consistit.

Luem veneream totalem signant sequentes morbi. Nempe consurgunt 1) vlcera, per vniuersam cutem erumpentia, crustosa, nigricantia, quae optimis quoque remediis, externis et internis, exceptis mercurialibus, resistunt, et auerruncari nequeunt, sed potius cutem de die in diem ita profunde erodunt, vt, post eorum curationem, foueae, in cute relictae, obseruentur, haud secus, vti fieri solet post curationem variolarum infantium, vnde quoque hic morbus *variola magna* dicitur.

2) Vlcera contingunt narium, siue *Ozaena*, quando nempe a sale maligno corroduntur tubuli narium cartilaginosi et ossei a carie, et tunica narium pituitaria exulceratur. Sequitur ideo foetidae et saniosae materiae constans stillicidium, loquelae turbatio, et in fine partis prominentis narium casus atque turbatio.

3) Oriuntur in lue venerea totali *aphthae* venereae, siue vlcera oris gingiuae, palati, linguae, tonsillarum, imo ipsius vuulae. Haec vlcera non tantum diu durant, sed de die in diem maiora capiunt incrementa, communi gargarismatum vsui resistunt, in superficiei gryseo et viridi colore notantur, ac tandem vuulam plane consumunt palatumque hinc inde exedunt atque perforant.

4) Huc

4) Huc pertinet *alopecia*, *ophiasis*, *areaque* venerea, quae dum in elephantiasi atque lepra affectis simul contingit, nobis indicat, quod lepra veterum et lues venerea recentiorum parum, vel nihil a se inuicem differant.

5) In lue venerea totali porro contingunt *rhagades* labiorum, mammarum, ani, manuum atque pedum, quae vlcera sunt sicca, interdum etiam humida, rimosa, oblonga, pruriginosa, odoris foetidi, coloris subnigricantis, vel viridescentis. Cinguntur quoque callo; nam callositas in omni genere vlcerum venereorum admodum solennis est.

6) *Verrucae* venereae, vel humiles atque depressae, vel pendentes, vel certam figuram repraesentantes quoque, solennes sunt, quales sunt *ficus*, *mori*, *cristae*. Harum excrescentiarum venerearum sedes partes inprimis sunt genitales, perinaeum et anus.

7) *Gummata Gallica* nodi sunt, circa tibiam, item in capite, aliisque partibus tendinosis, ac carne denudatis, excrescentes, hincque cum ossibus firmiter plerumque cohaerentes, et in fine cariem praestantes. Continent in se crassam quandam solidamque materiam, ac homines intolerabili dolore afficiunt. Interdum mutantur in vlcera sordida, cum carie ossium coniuncta.

8) *Tortura nocturna* sunt dolores venerei nocturni saeuissimi, vel in capite, vel circa articulorum internodia existentes, qui homines miseros horrendo et ineffabili modo excruciant quam crudelissime. Hi dolores plerumque comites sunt aliorum, supra iam recensitorum, morborum et tandem mutantur,

9) vel in *cariem*, siue ossium corrosionem, vel in tabem, et hecticam veneream.

10) Ad morbos venereos denique referri potest *aegilops*, siue glandulae lacrimalis minoris intumescentia et exulceratio,

ceratio, id quod propria mea obſeruatio in praxi mihi confirmauit.

2. Qu. *An dentur morbi haereditarii, et an illis, qui tali morbo laborant, matrimonium ſit interdicendum?*

De exiſtentia morborum haereditariorum dubitandum non eſt, et, quod in ſemine parentum morboſa diſpoſitio delitеſcat, confirmant, inter alia, familiae podagricae, hecticae, phthiſicae, calculoſae, epilepticae, melancholicae, etc. An vero illis, qui ex tali familia originem ducunt, vel reuera iam tali morbo laborant, matrimonium ſit interdicendum, quaeſtio eſt, quae a nonnullis affirmatur, ab aliis contra negatur. Qui negatiuam amplectuntur ſententiam, ſtatuentes nempe, quod illis ſit matrimonium concedendum, dicunt, 1) quod rariſſime deſideretur perſona, vitio quodam euidenti laborans, et quod potius affectus amoris per repraeſentationem eiusmodi vitii pereat, 2) quod morbi haereditarii non ſemper ex neceſſitate quadam phyſica propagentur in liberos, quoniam rariſſime perſonae vnius conſtitutionis et temperamenti per matrimonium vniantur, hincque morboſa diſpoſitio vnius corrigatur et ſuperetur per proſperam valetudinem alterius coniugis, item, quod et circumſtantiae educationis, alimenta, vitae genus, etc. poſſit inuertere et emendare leue eiusmodi vitium connatum. Sed reſpondemus ad primum, quod proh dolor! auri ſacra fames, dum mortalium poſſidet pectora, etiam gibboſam, claudicantem, epilepticam ac melancholicam, alioue morbo defoedatam, poſſit amabilem reddere, et cum in coniugium ducitur, et pro coniuge agnoſcitur, etiam alter coniux obſtringitur ad debitum coniugale, illi praeſtandum. Ad ſecundum ſi reſpondere volumus, notandum, quod ſemel in ſemine latitans parua

 diſpo-

dispositio incorrigibilis sit per victum, et vitae mutationem, medicamenta, educationem, etc. Et cum homines, morbo quodam detestabili, incurabili et haereditario laborantes, vix in republica sint tolerandi; Item illi, in quibus sana mens non existit, vel illi, qui, ob morbum perpetuum, et vitia corporis, muneribus reipublicae praeesse vix possunt, onera reipublicae fiant, quae ab aliis panem et sustentationem expectant: Ideo consultius est, eiusmodi personis, in specie ad melancholiam et maniam ex haereditatis vitio dispositis, matrimonium interdicere, quam permittere, vt stolidorum numerus in republica augeatur.

CAP. XIX.

DE PESTE.

Ad morbos dissimulatos reuera pertinet *pestis*, cuius exploratio admodum necessaria est, quoniam integra salus vniuersae reipublicae facillime alias periclitatur. Inualuit vero mos, homines, peste suspectos, extra moenia vrbium per aliquod temporis spatium detinere, vti hoc communissime obseruatur apud Venetos, *die da alle aus der Türckey, Aegypten und aus der Leuante ankommende, entweder im Lazaret, oder auf ihren Schiffen, die* Quarantaine *halten lassen.*

I. Qu. *Quam diu homines, de peste suspecti, e republica sint excludendi?*

Tempus ordinarium sunt 40. dies, quod tempus *Quadragena*, Italice *Quarantaine* dicitur. Hoc tempus a nonnullis ad plures quoque dies extenditur, sed praeter necessitatem. Pestis enim est morbus acutissimus, ac extreme malignus,

lignus, qui diu in corpore viuente non delitescit, sed breui tempore vires suas exercet, seseque manifestat. Et, quoniam dies quadragesimus omnium morborum acutorum finis est, et contra omnium chronicorum morborum principium, iuxta regulas Medicorum, ideo, pro pestis experientia, quadraginta dies in hominibus omnino sufficiunt.

2. Qu. *An semper tempus quadraginta dierum in suspectis hominibus accuratissime sit obseruandum?*

Respondendum negatiue. Nam venenum pestiferum 1) possidet celerrimam actiuitatem, et immensam penetrationem; ideo corpora infecta subito laeduntur, et ab eo destruuntur; 2) sola exspiratione, dum corpora et vestimenta per aerem transferuntur, effluuia contagiosa extinguuntur, difflantur et annihilantur, inprimis si 3) congrua diaeta, et conuenienti remediorum applicatione corpora mundificantur, quo pertinet pilorum derasio, suffitus, bezoardicorum et antiputredinosorum remediorum vsus, etc. Ita apud Venetos tractati homines in Nosocomiis veniam quadragenae impetrare possunt, ne, iusto diutius prolongato termino, in negotiis suis turbentur ac molestentur.

3. Qu. *Quid sit statuendum de rebus promercalibus, vel mercimoniis, vulgo* Kauffmanns-Gütern und Waaren, *qui ex locis ac regionibus, de peste suspectis, adportantur?*

Haec quaestio altioris est indaginis. Venenum enim pestiferum, vtpote salinum volatile, varia corpora intrare,

cum illis coniungi, et ſatis diu in poris quieſcere et detineri poteſt, teſte experientia. Inprimis autem hocce venenum facillime recipitur et detinetur a corporibus villoſis, ex lino, ſerico, lanugine, goſſypio paratis, vti ſunt ſuppellectilia, tegumenta, veſtes, induſia, ſtragula ex plumis, corium villoſum, cannabis. Vid. *Leipziger Peſt-Ordnung.* Huc pertinent chartacea, litterae, libri, inprimis ex antiquis et ſuſpectis bibliothecis aſportati. Quae vero merces tuto admitti poſſunt, iuxta ZACCHIAM, *Lib.* 3. *tit.* 3. *qu.* 4. *num.* 29. ſunt frumenta omnis generis, aromata, fructus, carnes recentes, vina, aceta, olea, quae ſuſpicionem nullam habent, et contagium non ſuſcipiunt. Aſt an haec omnia recte ſeſe habeant, merito dubitamus. Si enim in conſiliis peſtis ſebum interdictum eſt, etiam oleum et oleoſa ſuo modo ſuſpecta ſunt. Ob viſcoſitatem enim facile venenum peſtiferum recipiunt. Fructus item et carnes, ſiue recentes, ſiue muria conditae, et fumo induratae, dum ad fermentationem et putredinem inclinant, tutius non admittuntur, quo pertinent quoque dulcia et ſaccharata, vtpote aeque fermentifica. Metalla, iuxta ZACCHIAM, et ex metallis paratae monetae non ſuſpectae habentur. Sunt enim metalla corpora ſolida denſiſſima, quorum pori ad recipiendam virulentiam peſtiferam minus apti exiſtunt. Interim RANCHINVS, *de purg. rer. infect. ſect.* 5. cum ZACCHIA non conſentit, et ſequentia experimenta in contrarium adducit, vbi aes, allio atque abſinthio tritum, et ferrum, moſcho tractatum, *die perfumirten Degen-Klingen,* diu ſeruant odorem. Hinc concludit, metalla quoque poſſe recipere venenum peſtiferum, cum monetae plerumque vndique a viſcoſitate ſudoris humani perfuſae atque tectae deprehendantur. Tutius ideo mundificantur lotione, aceto facta, iuxta leges conſiliorum peſtis, *nach denen Peſt-Ordnungen,* vel, quod adhuc tutius eſt, igne depurantur, *indem ſie ein wenig ausgeglüet werden.* Sacculi autem et funes, ſiue ex lino, cannabe, lana, bombace, etc. tutius comburuntur,

quo

quo pertinent et ex iunco, ſtramine, arundine, et ex huius generis materiis compoſita corpora. Peſtem etiam faciunt terrae motus praecedentes. Vid. RAMAZZINI de *terrae motu*; inundationes, ſtrages hominum non ſepultorum in bello, vita hominum licentioſa, libidinoſa, morbi brutorum contagioſi, veſtimenta ac vtenſilia infecta, domus contaminati, commercium infectorum.

4. Qu. *Quaenam ſint ſigna peſtis?*

Non omnis morbus malignus, citiſſime homines ex vita eripiens, pro peſte ſemper habendus, ſed expectanda potius ſunt in omni epidemico morbo ſigna peſtis pathonognomica, quae ſunt *vibices*, *carbunculi* atque *bubones*. Sunt vero vibices tumores oblongi, ſolidi, rubentes atque vrentes in partibus muſculoſis, citiſſime ad necroſin inclinantes. His parum abſimiles ſunt carbunculi, ſiue tales tumores ardentes inflammatorii, lati et rotundi, quoque citiſſime ad necroſin tendentes. Dolor enim eſt ardens ad inſtar prunae. Adeſt extrema rubedo. In hiſce tumoribus inſuper ſuccedunt veſicae plures, vel vna lata ſuccreſcit, et breui poſt pars, a carbunculo affecta, ſenſum amittit, et cadaueroſam nigredinem induit. Bubones plerumque glandulas inguinales et axillares occupant, quae glandulae, cum dolore, fere intolerabili, et tumore notabili, breui temporis ſpatio purulentam praeparant materiam, maxime corroſiuam, citiſſime educendam. Non negandum vero, quod proh dolor! durante peſtilentia detur confluxus omnium morborum malignorum. Alii enim homines ex improuiſo interficiuntur, ſine praeuio alio morbo, *fallen auf der Gaſſen um*, alii dyſenteria, alii petechiis nigricantibus corripiuntur, alii carbunculis externis, vel internis, bubonibus et vibicibus intereunt. Nam corripiuntur febri acutiſſima, coniuncta, cum ſubitanea

vigoris extinctione, accedunt capitis intolerabiles dolores, ſummus ardor, et delirium phreniticum.

5. Qu. *Quid ſit agendum in peſte, ad vehementiam huius mali vel declinandum, vel extinguendum?*

Ante omnia a Deo inchoandum, et eius immenſa miſericordia voce ſupplici veneranda, vt malum hocce futurum et inſtans vel declinetur, vel praeſens imminuatur et extinguatur. Animus debet eſſe tranquillus, fortis, ac homines fiduciam ponere in Deo, ne terrore percellantur. Deinceps regulae diaeteticae accurate obſeruandae. *Vniuerſa enim peſtis cura praeſeruatiua conſiſtit in conuenienti vſu ſex rerum non naturalium*, inter quas primas obtinet *aer*. Per aerem enim, tanquam per vehiculum contagii, peſtis affertur. Hinc aer purificatur duplici modo 1) per motum, 2) per deſtructionem inibi exiſtentium effluuiorum. Aer reuera ſuo modo putreſcit, quando non commouetur, ſicuti hoc fit in anguſtis et anguloſis locis atque plateis, inprimis illis, in quibus pauperes in copia habitant, qui regulas puritatis et decori in vita non obſeruant. Vid. MERCVL. *de peſt. Cap.* 15. et DEVSINGIVM *de peſt. part.* 4. *ſect.* 1. *Cap.* 1. Huc pertinent loci, ad quos neque venti, neque radii ſolares pertingunt. Aer inquinatur a putredine fimi et ſtercoris, corruptioneque alimalium mortuorum, quo multum conferunt fullones, *die Gerber*, qui per putredinem corium praeparant, item effluuia caemeteriorum, quae ideo extra moenia vrbium conſtituta eſſe debent, adeo, vt magiſtratus ſepulturam in templis, vel eorum peripheria, merito vbique interdicere deberet. Iure porro omnes cryptae ſub terra, *allerley Brunnen, Keller und Gewœlber, ſo verſchloſſen ſind*, tempore peſtis non aperiuntur. Nam a vaporibus malignis, inibi incluſis,

viru-

virulentis, in momento homines suffocantur, teste experientia, quae suffocatio quidem ab imperitis ab anhelitu basiliscorum, inibi existentium, deriuatur, a prudentioribus tamen merito vaporibus malignis tribuitur. Vide CONNOR *de antris lethiferis*, item ALONSO BARBAE *Beschreibung der Indianischen Bergwerke.* Aerem depurare tempore matutino, conuenit (nam nocturnus semper maxima effluuiorum copia repletus existit.) Hoc fieri potest 1) per ignem. Ignis enim comburit et destruit effluuia nociua. Comburenda vero sunt inprimis bituminosa et fragrantia ligna, vt lignum iuniperinum, cum fructibus, cuius locum supplere potest lignum pini et pinastri, abietis, aloes, roris marini, nerulinum, item cortex chaccarillae, etc. quo pertinent suffitus ex gummi animae, tacamahaca, thure, etc. Multum quoque confert ad aeris depurationem tormentorum bellicorum crebrior explosio. Per talem enim sonum vehementem aer non tantum agitatur, sed et per ignem et fumum effluuia destruuntur nociua, consentiente ZACCHIA, *l. c.* qui insimul varios ibi allegat huius sententiae auctores, et inprimis VNZERVM nostrum, Hallensem quondam Medicum percelebrem, in *antidoto pestis.* Denique per sonum campanarum aer commouetur, et pestilentialibus effluuiis ita tantisper purgatur. Non inane quoque consilium est, quando commendantur amuleta, quae per vim magneticam aerem particularem, corpora humana ambientem, purificant, quo pertinet radix plantaginis atque colchicum, a B. nostro WEDELIO iterum reuelatum, magnes arsenicalis Chimicorum, bufones exsiccati, vel de collo gestati, vel in aedibus suspensi, quae corpora omnem virulentiam, per aerem circumfusam, recipiunt. Laudandum quoque experimentum sequens, a nonnullis Chimicis inuentum: Recipitur nempe later, in igne candidus redditus, hic solutione vitrioli perfunditur, fumusque excitatur ita in aedibus, hoc facto later deportatur extra vrbem, vel domum, et terra tegitur. Ita

enim

enim vel per fumum aer particularis depuratur, vel later magnetice recipit effluuia maligna. Quotidie vero hocce tentamen reiterandum. Iuuat denique, aquis odoriferis, atque destillatis, item aceto rutaceo rosaceoque pauimenta conspergere, aeremque particularem depurare.

Durante peste selectus quoque alimentorum faciendus, et vitanda omnia, quae facile in corpore nostro putrescunt, cepae vero et allium, tempore pestis, laudantur. Inprimis autem commendandum vinum, sale mixtum, *gesaltzener Wein.* Sal enim sanguinem a corruptione praeseruat, et vesperi cum hoc vino tantum pulueris cretae miscetur, quantum cuspide cultelli capitur. Hoc experimentum in peste Ratisbonensi multos a peste praeseruauit.

In somno atque vigiliis, motu atque quiete moderatio certa seruanda, ne corpus debilitetur, et ad ita concipiendum morbum aptius reddatur: Euacuationes vero naturales, alui inprimis atque vrinae, liberae sunt seruandae; coitus autem a ZACCHIA interdicitur, fortassis, quia debilitat, sanguinemque exagitat. *l. c.* enim, et quidem num. 15. inquit, quod ab eo, coitu nempe, non modo in tantum, sed in totum plane abstinendum sit, et quod ideo arcendae sint, tempore pestis, ex ciuitate omnes meretrices (loquitur de republica Romana, vbi alias publice tolerantur). E re est insuper, crebriorem saliuae excretionem promouere. Hinc laudanda sunt masticatoria, inprimis balsamica, vt zedoaria, cubebae, myrrha, baccae iuniperi, cortices citri, etc. Saliua enim primario virulentiam facile recipit. Qui tempore pestis fonticulos quoque gerunt, illos a peste immunes manere, experientia confirmatur, purgantium vero et balneorum vsus non commendandus, quoniam massa sanguinea inde exagitatur. In animi denique passionibus moderandis vnusquisque diligens sit oportet. Metus, prae omnibus, et tristitia abdi-

abdicanda. Meticulosos enim, prae reliquis omnibus, pestem incurrere, non tantummodo testatur PLATERVS atque FORESTVS, sed et fusissime demonstrauit celeberrimus RIVINVS, in *tractatu de peste Lipsiensi.*

CAP. XX.

DE VENENIS ET VENEFICIIS.

Venenandi crimen grauissimum est, et grauius simplici homicidio, in quo nobilis deprehensus ab ignobili non distinguitur, sed a iudicibus eadem poena afficitur. ZACCHIAS, *L.* 2. *tit.* 2. *Q.* 1. Medici autem venenorum perfectam habere debent notitiam, dum ab eorum iudicio dependet veneni inquisitio, et quia determinare debent in foro, an quis ex veneno perierit, nec ne? Iuxta CARPZ. enim *part.* 1. *Qu.* 21. *praxeos criminalis*, non sufficit veneficii confessio, sed requiritur insimul Medici iudicium, an venenum sat potens fuerit ad interficiendum, aut eiusmodi damnum inferendum, item, an reuera exhibitum sit, vbi ideo ipsius rei confessio irrita euadit, quando Medici deponunt, veneni quantitatem et qualitatem non fuisse aptam ad occidendum.

I. Qu. *Quid sit venenum?*

Est venenum late sumtum tale corpus siue naturale siue artefactum, quod corpori humano adplicatum sanitatem laedit ob vim suam, qua gaudet, insitam.

Diuiditur venenum in *Mortale* seu *proprie tale;* et *non Mortale* seu *Improprie tale; Mortale* dicitur, quando ex eius adplicatione mors consequitur; *Non-Mortale* vero adpel-

 latur,

latur, quando ex eius adplicatione mors non consequitur, sed quod tantum insignem laesionem corpori adfert.

Venena *Mortalia* iterum duplicis sunt generis: 1) *Acuta*, quando mortem citam inferunt; 2) *Chronica*, quando mors, quae insequitur, est lenta.

Modus agendi horum venenorum est diuersus. Alia agunt corrodendo, alia inspissando seu inuiscando, alia suffocando, alia contractiones vasorum impediendo, alia ob solam duritiem atque figuram acutam, qua gaudent, alia modo adhuc plane incognito vim suam exserunt lethiferam.

2. Qu. *Quotuplex est modus applicandi venena?*

Modus applicandi venena duplex est: Primo enim vel cum cibo et potu, immo ipsis medicamentis, miscentur; secundo extus applicantur per tela, vnguenta, balsama, puluerem de cypro, sternutatorium, suffitus, vel denique clysteribus miscentur.

3. Qu. *An venena, extus applicata, tanta celeritate agere valeant, quanta per os assumta?*

Non nulli sunt in ea opinione, quod exhausta venena, dum a visceribus resoluuntur, citius agere valeant, quam extus applicata, haecque multum de virtute sua deponant, priusquam ad interiora penetrare valeant. Ast, quod haec regula de extus applicatis non sit vniuersalis, confirmatur 1) morsibus viperarum, canum rabidorum, scorpionum, et puncturis tarantularum. Haec venena, extus illata, summa celeritate agunt, horrenda symptomata excitant, et hominem vel mox extinguunt, vel enormiter laedunt. 2) Mercurius

currens

currens, ſiue argentum viuum, intus datum, venenum vix nominari poteſt. Propinatur enim ad libras aliquot in horrendo illo morbo, miſerere mei dicto. Quando autem ad vncias duas tantum vnguentis miſcetur, et ſine regimine, praeuiaque praeparatione, extus applicatur, v. g. in morbis venereis, aliisue rebellibus, fere lethalem excitat oris et colli inflammationem, ac gangraenoſam exulcerationem, nec minus dolores capitis intolerabiles, conuulſiones, ſuffocationes, dyſenterias, etc. 3) Succus hellebori, extus applicatus, cum ſagitta, venenum eſt, teſte veterum experientia, intus vero dari poteſt maiori in quantitate, vt medicamentum purgans: Nam extus applicata venena citius et immediate cum fluidis vitalibus miſcentur, lympha nempe, ſanguine et fluido neruco; hinc non alterantur ita, quemadmodum alterari poſſunt deglutita venena, quae, quando ad ventriculum deferuntur, interdum ibi deprehendunt tantam viſcoſarum cruditatum copiam, qua virulentia ſupprimitur, obuelatur, et notabiliter imminuitur, immo plane extinguitur, hoc confirmantibus, inter alia, quartanariorum obſeruationibus, qui a fortiſſimis vomitoriis non commouentur, immo granum vnum alterumue arſenici crudi perferre poſſunt absque omni iniuria, quod tamen in aliis lethalia praeſtat ſymptomata.

4. Qu. *Quaenam ſint venena dicenda?*

Venena omnia deſumuntur ex triplici regno, et quidem 1) minerali. Venena vero pleraque mineralium ſalia poſſident corroſiua; hinc eo momento, quando ad ventriculum et inteſtina deferuntur, aculeis ſuis acutiſſimis haſce partes corrodunt atque inflammant, ſubtiliſſimis ſuis ſpiculis neruos penetrant, eosque conuellunt, et, dum ventriculus copioſiſſimos poſſidet neruos, qui cum toto genere neruoſo commercium exercet, ideo hoc ſal ſubtile, neruoſo fluido mixtum, ſubito per totum corpus diffunditur, conuul-

ſiones et ſpaſmos praeſtat, totamque oeconomiam animalem turbat. Vid. Cel. HOFFMANN. *diſſert. de erroribus circa venena.* Huc pertinent ſpiritus acidi, vt *aqua fortis, aqua Regis, ſpiritus ſalis, ſulphuris, nitri* et *vitrioli, oleum vitrioli:* Hi ſpiritus acidi quidem, in ſe ſpectati, venena non ſunt, ſed potius medicamenta dici poſſunt, imo aliis medicamentis miſcentur, quemadmodum hoc confirmat elixir. Vitrioli Mynſ. elix. proprietatis cum acido, Tincturae roſarum, et florum cordialium, vel cum ſpiritu ſalis, ſulphuris, clyſſo antimonii, ſpiritu vitrioli philoſophico paratae, item dulcificantur, vel potius diluuntur, ſpiritu vini; *aſt quando ſpiritus acidi vno praebio, ſiue vna doſi et vice, aſſumuntur in notabili et exceſſiua quantitate, tunc corrodunt ventriculum, eumque cum cardialgia inflammant, item quando in exceſſiua doſi per temporis decurſum continuantur, tunc viſceribus nocere, et ſanitatem inuertere poſſunt.* Hoc probe notandum, quando de virulentia horum ſpirituum quaeſtio oritur, quale exemplum reperitur in Cel. VALENTINI *nouell. medico-legalibus, caſu* 29. *a pag.* 588. *vsque ad* 617. vbi iudicia diuerſa, cum rationibus tum dubitandi tum decidendi, reperiuntur *de ſpiritus vitrioli,* mane et veſperi in cochleari ſpiritus vini propinati *efficacia,* et an vnciae 2. huius ſpiritus, intra 3. ſeptimanas datae, de die ad guttas 20. vel 25. cauſa fuerit mortis vxoris Meyeri inquiſiti?

Huc pertinet *mercurius ſublimatus* corroſiuus, *mercurius praecipitatus* ruber non edulcoratus, qui ſpiritus acidiſſimos corroſiuos, concentratosque in ſe continent; hinc data ad granum vnum alterumue venena ſunt mortifera, praeſertim in ſubiectis tenerioris texturae, et debilioris ventriculi. Item *turpetha mineralia,* vt *album* et *flauum,* quae quidem a nonnullis laudantur, vt vomitoria, aſt non ſunt tuta remedia, et potius venena dicenda. Legi merentur hac occaſione ea, quae exſtant in Cel. HOFFMANN. diſſertat. *de medicamentis*

tis insecuris, item *de purgantibus minus vsitatis. Mercurius dulcis, vel non rite praeparatus, vel aucta dosi adhibitus.* Est quidem mercurius dulcis remedium notissimum, sed cum prudentia semper in praxi applicandum. De hoc sequens fert iudicium BONTEKOE, *fundamentorum medicorum p. 64. Der so genannte* Mercurius dulcis *ist so süsse nicht, wie man wohl meinet, weil er, in allzugrosser Quantitæt eingenommen, sich gleichfalls in einen Gifft verændern kan.* Quo itaque sine metu noxaque assumi possit mercurius dulcis, necessarium est, vt debito modo non tantum praeparetur, sed et caute et circumspecte adhibeatur in dosi, et forma inprimis pilulari, non vero puluerulenta. Mercurius enim dulcis, sub forma pulueris exhibitus ad grana XV. adolescentem XV. annorum, sexto post haustum die, necasse testatur Dn. D. WAGNITIVS, in *meditatione medica curiosa de mercurio dulci puluerato.* Quedlinburgi 1703. FRIDER. HOFFMANN, in *med. consult. part.* I. *decad.* II. *cas. V. de infelici operatione mercurii dulcis in puero XII. annorum.*

Vitrum antimonii, flores antimonii, crocus metallorum sunt quidem remedia emetica, nunquam tamen in substantia danda, id quod quidem circumforanei et mulomedici, proh dolor! non obseruant. Ex hisce parata infusa vina emetica, oxysacchara, sapae, syrupi emetici quoque a Medico rationali, quantum fieri potest, euitantur. Nam fortissime agunt, enormiter et excessiue vomitum excitant, et, dum vomitus conuulsio ventriculi est, facile in vomitu tali cholera iungitur cum conuulsionibus, anxietatibus aliisque funestis symptomatibus, a quibus miseri eiusmodi homines vel intereunt, vel enormiter laeduntur, et Medici tales imperiti fiunt veri artifices morborum, imo plane mortis, in re publica non tolerandi.

Arsenicum album, flauum, rubrum, smalta item, cobalthum et arsenicum fixum, vera venena sunt.

Cobalthum enim officinarum nihil aliud eſt, quam fuſcus puluis, adeo venenoſus et corroſiuus, vt in nulla catha poſſit contineri, et quoniam muſcas, aliaque inſecta enecat, ideo *Fliegen-Stein* appellatur, et ex Miſnia inprimis, *aus Iohann Georgen Stadt*, affertur. De his vid. Scriptores materiae medicae, SCHROEDERVM, HOFFMANN. in *claue Schrœderi*, ETMVLLERI *commentar. in Schrœder.* VALENTINI, *in Muſaeo* et *aurifodina medica.*

Arſenicum eſt cobalthum ſublimatum, ſiue flores cobalthi. Quando nempe minera cobalthi funditur, fumus candidus, puluerulentus, in camino colligitur; hic dicitur *Hütten-Rauch*, et quoniam mures et glires enecat, etiam dicitur *Ratten-Pulver.* Puluis talis candidus colligitur, et noua fuſione mutatur in vitriformem ſubſtantiam teſt. KVNKEL. *Glaſsmacher-Kunſt.*

Arſenicum flauum et rubrum ex albo paratur, addendo certam quantitatem ſulphuris. Vid. HOFFMANN. ſupra citatam Diſſert. *de erroribus circa venena.* Ideo quoque non adeo corroſiua ſunt venena, ſicuti album.

Auripigmentum cum arſenico flauo a plerisque confunditur, ſed falſe, teſte HOFFMANN. *l. c.* Eſt enim minera natiua, pictoribus vſitata, allata ex Auſtria, et meridionalibus regionibus. Corroſiuitatem quidem poſſidet, aſt non tantam, quantam arſenicum flauum.

Smalta, ſiue *blaue Stärcke*, *Oel-blau*, etc. dum paratur ex minera cobalthi, etiam virulentum eſt remedium. Extinguitur quidem ſal corroſiuum ab additamentis, arena nempe et ſale alkali, ſed ideo non in totum aufertur.

Arſenicum fixum, a nonnullis Chymicis laudatum, omnem ſuam virulentiam non depoſuit, ſiue ſit paratum nitro, ſiue antimonio. Hoc confirmat vis cauſtica, quam in vlceribus calloſis exercet. Applicatum enim ibi callum deſtruit, haud ſecus, vti alia corroſiua, *Butyrum antimonii*, *Cryſtalli*

lunae

lunae, *Lapis infernalis*, quae omnia ad venena corrodentia referri debent.

Antimonium crudum a plerisque pro veneno habetur, ex hac ratione, quoniam multum de arfenicalibus particulis ramentisque fulphureis metallicis imperfectis comprehendat. Vid. CELEB. et ILLVSTREM STAHLIVM, in *obferuation. Menf. 6. cap.* 1. Et, quod etiam fal arfenicale volatile in antimonio fit contentum, ego in dubium non voco, quoniam hoc tot proceffus chymici confirmant et ad oculum oftendunt: Aft, quamuis ex antimonio parata nonnulla in cenfum venenorum fubeant, tamen *ipfum antimonium venenum dici non meretur*, id quod dudum oftendit WILLIS. in *pharmacia rationali*, et KVNKELIVS, in *Laborat. chymic. Cap. de antimonio*, qui contracturam ipfam puluere antimonii crudi, in fubftantia ad grana 25. dati, vel morfulis fuis mixto, feliciffime curauit, et vim medicinalem antimonii non tantum in aliis, fed et in proprio fuo corpore tentauit et expertus eft. Terra enim mercurialis, in antimonio crudo exiftens, extinguit corrofiuitatem falium cafticorum. Quando vero haec deftruitur, fiue fufione, fiue calcinatione, fiue fublimatione, tunc hocce fal antimonii corrofiuum et arfenicale, a vinculo fuo mercuriali liberatum, vomitorium et venenum fieri poteft, quo pertinent *reguli antimonii, vitra, flores, croci, calces*, ex antimonio parati, *mercurius* item *vitae* dictus, qui, quando non perfecte edulcoratur, mercurius mortis fieri folet, ac denique *bezoardica mineralia*, *antimonia diaphoretica*, fiue cum, fiue fine igne parata, et *fulphura*, fiue *aurata*, fiue *cordialia*, quae omnia, fi non ab experto et exquifito Chymico phyfico elaborantur, veneni naturam non deponunt.

Saccharum Saturni, fiue ex lithargyrio, fiue minio, fiue ceruffa, fiue plumbo calcinato paratum, remedium quidem eft adftringens, immo in inflammationibus et fluxionibus proficuum: Interim tamen maxima cum cautione in vfum vocan-

vocandum D. D. ERNDL. in *sua dissertat.* pro loco habita Lipsiae, cuius titulus est: *Diss. med. ex Veneno salutem sistens*, inquit thes. 21. nullum est dubium, lenta illa Gallorum Italorumque venena, quae *la poudre de succession* communiter appellantur, saturninis eiusmodi concretis suam debere originem: Nam potentissime adstringunt, & obstructiones alui pertinacissimas praestant, vasaque spermatica quoque constringendo impotentiam efficiunt. Et paulo post inquit: *Noui quendam Chymicum, qui labores chymicos sumptu cuiusdam magnatis dirigit, hic iussu patroni sui*, (nescio an laudabili, an vero illaudabili ausu) *multum in exantlatis et moderandis venenis sudoris profudit, temporisque consumsit, hic ipse fassus est, quod ex saccharo suturni, additione volatilis cuiusdam corrosiui, possit parari lentissimum venenum, quod, canibus* v. g. *propinatum, eos insensibiliter, citra omnia violentiora symptomata, post decursum aliquot septimanarum, aut mensium enecare soleat, contabescentibus animalibus successiue, dum vasa viscerum constringuntur.* Sic et vinum, lithargyrio adulteratum, virulentum redditur. Vid. cel. ZELLER. Tub. *Docimasiam vini, lithargyrio adulterati*, item Dn. D. GOECKELII *curioese Beschreibung des durch Silberglett, versüßten sauren Weins, und der davon entstandenen neuen, und vormahl unerhœrten Wein-Kranckheit*, item STOKHVSII *de Lithargyrii fumo noxio*, et exinde nato morbo metallico, vulgo *die Hütte Katz* appellato. Hic auctor probare satagit, morbum hunc neque fieri a mercurio, neque arsenico, sed vnice ab exhalationibus saturni, et fumo dulci, *von dem süssen Bleydampf, so auf den Capellen und Herden nicht alleine sichtlich ist, sondern auch bey der Respiration im Geschmack empfunden werden kan.*

Possem hisce, iam adductis, ex regno minerali desumtis, et per artificia chymica paratis venenis alia addere: ast, cum in institutionibus omnia sint in compendio tractanda, etiam hic amplissimam de venenis doctrinam integre exhaurire

rire non possum. Fortassis sese offeret alia occasio, de his ex instituto agendi. Hoc modo addam in praesenti, quod varia dentur remedia, ex *antimonio*, *mercurio*, *aere*, *vitriolo*, aliisque mineralibus parata, quae, quando non rite applicantur, siue intus, siue exterius, vel quando in malignorum hominum manus incidunt, vitae laesiones praestare possunt, quo pertinent *calx aeris vsta*, *calx aeris per corrosiua*, *flos aeris*, *limatura aëris*, *vitriolum album*, *crystalli lunae*, *lapis infernalis*, *vitriolum factitium*, *aerugo* (*Grünspan*), *Guilla Paracelsi*, *mercurius vitae*, *bezoardicum minerale*, etc. Item *cosmetica*, v. g. *mercurius cosmeticus*, *magisteriaue* alia cosmetica, ex *marcasita*, *talco*, etc. fabrefacta, et corrosiuis spiritibus elaborata. Haec in facie, collo, manibus, mammis, imo, iuxta praesentem consuetudinem, in dorso, et scapulis denudatis, applicata, venena fieri possunt, quae successiuam contabescentiam, coecitatem, oris foetorem, gingiuae putrilaginem, dentiumque nigredinem inducunt. Et dolendum, quod virgines et foeminae, a superbia et voluptate seductae, sibi ita manus violentas applicant, suamque vitam et sanitatem laedunt. Sic etiam adhuc ad venena mineralia pertinent *vitrum contusum*, *spicula adamantis*, *crystalli montanae*, *alumen pulmosum*, *calx viua*, *gypsum*, *lapis armenus*, *lapis lazuli*, *realgar*, *carbo fossilis venis arsenicalibus scatens*. Dantur tandem et subtilissima venena alia, paucis hominibus tamen modo nota, quae nocere possunt. Sic, teste ZACCH. *L. 2. tit. 2. Q. 2.* Clemens septimus, Pontifex maximus, toxico fumo facis venenatae interiit, et ZIEGLERVS, in notis, refert, quod vespilio per puluerem, in plateis dispersum, pestem excitauerit, quae vltra mille homines ex numero viuentium exturbauit. Haec venena sine dubio a Chymicis expertissimis sunt parata. Imo errorem non erramus, quando asserimus, quod etiam *aër* certo respectu inter venena locum quendam sibi vindicet. Hic enim, quando v. g. cani venā

quaedam aperitur, et per aperturam factam portio eius ope tubuli inflatur, mortem citam, teste experientia, inducit.

Ex vegetabili regno desumta *venena* duplicis sunt generis: *natiua* atque *artefacta*. *Natiua* partim sunt corrosiua, partim vaporosa atque narcotica, hoc est, talia, quae particulis suis subtilioribus, stypticis, vasa cerebri constringunt, et fluidorum, inibi contentorum, motum sistunt; hinc stuporem et somnum profundissimum atque lethalem inducunt, vel vomitum et choleram praestant. Huc pertinet, iuxta auctores, *coronae Imperialis* copiosior vapor. *Solanum*, quoad omnes suas species, inprimis *Solanum furiosum*, siue *Belladonna*, *poma amoris*, *mandragora*, *Semen daturae* seu Solani Indici spinosi, *hyoscyamus*, *crocus* et *opium*, largiori dosi data, non tantum vomitum excitant, sed et stuporem ac somnum lethalem efficiunt. Item huc pertinent succi acres *Tithymalorum*, *Euphorbiorum Apocynorum*, *Thymelaearum*, Aconitum, *cuius radix atque succus ex floris nectario, acerrimus est*, *Colchicum*, *Taxus*, *Lolium temulentum*, *Anacardium*, *Anemone*, *Apium risus*, *Clematitis*, *Cyclaminum*, *Dracontium*, *Flos Africanus*, *Nigella sylnestris*, *Oleander*, *Ranunculi*, *Thapsia*, *Oenanthe apii folio, succo viroso*, *Mezaereum*, *Laureola*, *Semen Psyllii*, *Spongia Cynosbati*, *Agaricus*, *Viscum*, *fungi venenati*, qui subito, spatio vnius horae, intolerabiles abdominis cruciatus, vomitum, choleram, vertiginem et deliria excitant, quale quid ante biennium in quinque personis, *so unter denen gelben* esculent*en Schwammigen einige giftige mit gekauft und gegessen hatten*, obseruaui.

Cicuta, quam Graeci κώνειον appellant, maior, minor Petroselino similis, aquatica Gesneri, *et napellus* flore inprimis caeruleo, veterum erant primaria venena. Hinc succus cicutae inspissatus semper olim Athenis asseruabatur in poe-

poenam hominum. Venena vegetabilium hoc quoque praecipuum prae reliquis poſſident, quod quam commodiſſime dari valeant; nam eorum ſalia, in viſcoſo terreo principio inuoluta, deliteſcunt, hincque acredinem notabilem non poſſident, et nauſeam in organo guſtus non excitant. Huc referri debent, vt inſipida venena, *vina venenata croco metallorum*, *vitro*, *floribus et regulo antimonii*, *item vina lithargyrio adulterata et dulcificata*. Non ita diu eſt, quod certum quoddam ex regno vegetabili innotuit exoticum ſub nomine *ligni Panaua*, quod, vti communis fert fabula, in morbis chronicis curandis, febribusque intermittentibus depellendis, magnae eſſe ſolet efficaciae. Hoc enim remedium largiter vomitum excitat, aluum euacuat, ſudorem expellit, ſaporis eſt cauſtici, inſtar *granorum tilli*. Haec ſane, dum cauſtica ſunt, remedia venena dici poſſunt, quando largiori doſi propinantur, haud ſecus, ac alia vomitoria et purgantia fortiora, vt *eſula*, *helleborus albus*, *elaterium*, quorum vſus inter Medicos recentiores iam ceſſauit fere penitus, quoniam facile hypercatarſin poſt ſe relinquunt. Hisce iungitur merito ſemen ricini, cataputiae, nux vomica, iris hortenſis, *helleborus niger*, *aſarum*, *colocynthis*, *ſcammonium*, *gummi de Peru*, quae ſane gradu tantum a venenis differunt. Et quamuis a nonnullis autoribus talia, vt prorſus in ſe bona, incontaminata et innoxia ſalutantur; vid. Celeb. VATERI *Phyſiologiam experimentalem*, *pag. 838. Cap. de venenis*: tamen ipſe autor fatetur, quod maxime actiuis qualitatibus, prae omnibus aliis corporibus, praedita ſint, quarum reſpectu etiam in minori quantitate brutis non minus ac homini, niſi rite et prudenter adhibeantur, noxam, imo mortem afferant. *Toxicodendron*, *Nerion*, *Hydropiper* plantae ſunt ſuſpectae, vrunt enim cutim.

Denique his addenda venena illa emmenagoga, ſiue foetum et menſes pellentia, quo pertinet *ſabina*, *artemiſia*,

euphorbium, imo *sagapenum*, et his similia alia, ex quibus pocula partim impotentiae, partim abortionis conficiuntur.

Ad classem venenorum vegetabilium artefactorum pertinent *cineres vstorum vegetantium*, *alcali inde factum*, *idem cum calce saxi vsti igneum redditum*.

Animalium venena quoque in potestate hominum sunt, et malitiosis illis pro lubitu vti et abuti potest. Exempli loco sit puluis cantharidum, busonum. Sic (quemadmodum relationes testantur anglicanae de iam vbique fere inter eruditos nota variolarum insitione), quando purulenta materia variolarum, ab vno homine infecto collecta, per turundines naribus applicatur, excitatur hic morbus, quemadmodum ille quoque praeuia vulneratione circa carpum, et applicatione huius materiae purulentae inoculatur. Et credibile sane est, quod applicata talis materia in ano atque pudendis similem effectum praestet. Si enim virulentia venerea per pudendorum applicationem in congressu, et per saliuam in osculis transplantatur, non video, quid impedire possit eo modo institutam variolarum transplantationem. Salia enim virulenta peregrina, volatilia et corrosiua, etiam hic agunt, si modo immediate corpori applicantur, et cum sanguine commiscentur. Venena talia animalium, cum corpore humano mixta, turbant motus sanguinis naturales, humores vitales destruunt, et ad putredinem disponunt, imo inflammationes lethales producunt, quo pertinent *araneae* etiam nostrates, quae haud secus, ac illae, quae in regionibus calidioribus reperiuntur, quales sunt *tarantulae Apuliae*, succum virulentum, acrem, corrosiuum atque volatilem possident. *Bufonum*, animalium illorum aspectu horridorum, in locis subterraneis impuris, squalidis, nutritorum, puluis, teste MONCONYS, *in* suo *itinerar.* exterius in capite applicatus, non tantum vesicas, sed et deliria infert. De canis rabidi veneno

neno alibi iam dictum fuit. Hoc, solo morsu communicatum, interdum per aliquot annos in corpore delitescere potest, donec ex improuiso, solo motu corporis excessiuo, agere incipit, quale quid in rustico pagi *Dorndorf* obseruaui.

Viperae, *serpentes*, *lacertae*, siue *salamandrae*, *scorpiones*, nec non omnia insecta succo virulento praedita, morsibus atque puncturis homines laedunt, et virulentam saliuam, vel venenosa excrementa, ita humano corpori communicant.

Cantharides autem, scarabaei isti splendentes, et quasi deaurati, in Germania nostra vbique communes, apprime continent sal volatile acerrimum causticum. Si enim modo exterius cum emplastris applicantur, partes adurunt, et vesicam excitant, quando vero improuide dantur intus, siue in puluere, siue in essentia, siue in vino hisce tincto, non tantum ventriculum et intestina inflammant, sed et ardorem vrinae, mictum cruentum, et spasmum penis, siue dolorosam penis erectionem, producunt, imprimis, quando dosi aucta propinantur. Similis virulentus effectus exspectandus a *stynco marino*, *puluere millepedum* et *nucleis*, siue fructibus, *anacardinae*, quae alias, vt aphrodisiaca, laudantur. Imo pertinent et huc *Aspis*, *cerastes prester*, *seps*, *scorpius*, *buprestis*, *stellio*, *salamandra*, *lepus marinus*, stellae *pastinaca marina*, *partes animalium*, vt v. g. *oua*, *humores*, *carnes omnino putrefacta*.

ZACCHIAS denique ad venena refert animalia venenosis cibis nutrita, item animalia venenosis sagittis vulnerata. De his posterioribus suo modo assertio auctoris concedi potest. Venenum enim ante interitum circulatione sanguinis per corpora animalium diffundi potest. Prior vero sententia merito in dubium vocatur. Dum enim in omnibus animalibus alimenta inuertuntur, et in forma de-

ſtruuntur, ideo ipſa virulentia per vim ventriculi extinguitur, et ſi virulentia nutrimenti non agit in ventriculum, inteſtina et ſanguinem animalium, multo minus agere poteſt in carnem, et reliquam ſubſtantiam, poſtea comedendam. Et, quod maximum, quotidiana obſeruatio contrarium docet. V. g. anas et trutta comedunt bufones, gallina araneas, et alia inſecta: attamen carnes horum animalium nullam virulentiam poſſident, cum contra vegetabilia, ouulis et excrementis inſectorum contaminata, et ab hominibus deglutita, choleram lethalem excitare ſoleant. Qui plura, quae hiſtoriam venenorum illuſtrant, legere cupit, euoluat IO. IAC. WEPFERI *Hiſtor. Cicut. Aquatic. Baſ.* 1716. IO. LINDESTOLPE *de Venenis* cura CH. GOD. STENZELII Lipſ. 1709. huiusque *Toxicolog. Patholog. Medic. Vitemb.* 1733. RICHARD. MEAD. *Oper. Medic.* Tom. II. Goetting. 1749. IO. FR. CARTHEVSERI Diſſ. *de Venenis* Francof. 1741. IO. ADR. SPROEGEL *Diſſ. qua experimenta circa varia venena in animalibus viuis inſtituta*, proponit, Goetting. 1753. IO. HOLLAND. *Diſſ. de Venenis ex animalibus rabidis*. Lugd. Batau. 1734. HERM. BOERHAV. *Inſtit. Medic.* §. 1136. ſeqq. MICH. ALBERTI *Iurispr. Medic.* nec non *Comment.* in Conſtit. Crim. Carolin. Halae 1739. p m. 131. ſeqq.

5. Qu. Quales ſint effectus venenorum?

Omnia venenorum genera, ad ventriculum delata, in illo cardialgias, nauſeam et vomitus gangraenam, ſphacelum, putredinem ac tumorem totius corporis, huius conuulſiones praeſtant; ad inteſtina vero promota, ibi tormina atrociſſima, diarrhoeas, vel etiam interdum alui conſtipationes, aluum cruentam, inteſtinorum inflammationem, magis vero in tenuibus, quam in craſſis efficiunt. In thorace producunt ſpaſmos diaphragmatis, et muſculorum intercoſta-

costalium, singultus, respirationes difficiles. Imo ipsum cor insimul afficitur, ideoque eius musculi in systole cordis enormiter contorquentur. Hinc oriuntur in principio palpitationes cordis, anxietates praecordiales, syncope, sudores frigidi, et in fine pulsus debilis, celer et intermittens. Facies denique vel extra ordinem pallet, vel interdum enormiter tumet cum liuore. Si vero venena ad cerebrum deferuntur, item ad neruos et membranas cerebri, tunc irregulariter fluidum neruosum commouent, circulumque spirituum turbant. Inde sequuntur inquietudines, deliria, conuulsiones et epilepsiae.

6. Qu. An effectus, iam recensiti, semper sint effectus veneni, an vero eiusmodi symptomata etiam sint aliis morbis, sponte in corpore natis, communia?

Operosum quidem, atque satis difficile est semper, absolute determinare, an haec symptomata sint de veneno, an vero ex aliis morbis nata, id quod confirmat CONDRONCHIVS, in *methodo testificandi, cap. 6.* SYLVATICVS *de morbis simulatis, cap. 21.* et FORT. FIDEL. *de relation. medicis, Lib 4. Sect. 3. cap 1.* quo pertinet celeberr. HOFFMANNI *differt. de conuersion. morbi benigni in malignum*, vbi de generatione veneni in corpore humano agitur. Et sane non sine ratione dubitant magnae famae et experientiae Medici, an dentur signa specialia veneni, quibus mediantibus venena ab aliis morbis distingui queant. Cacochymia enim et cachexia, sponte in corpore natae, vel ab erroribus diaetae promota, similes interdum effectus praestant, quemadmodum sunt v. g. erosiones, dolores, cardialgiae, item inflammationes ventriculi, febres, deliria, etc.

7. Qu.

7. Qu. Quomodo praeſentia veneni in corpore humano poſſit dignoſci?

Signa, quae praeſentiam veneni in corpore humano indicant, deſumuntur ex circumſtantiis, quae ante aſſumtionem, in aſſumtione, et poſt illam obſeruantur. Sic v. g. quando homo, ceteroquin ſanus, qui alias, iuxta regulas diaetae, optime vixit, ex improuiſo in morbum incidit, quem concomitantur grauiſſima ſymptomata atrociſſima, inſolita, ac nullo morbo ordinato ſollemnia, immo, quando hoc fit eo tempore, quo morbi epidemici maligni non graſſantur, tunc praeſumitur, quod hi ſubitanei, extraordinarii et vehementiſſimi affectus etiam nati ſint a cauſa quadam extraordinaria; haec ſunt circumſtantiae, ante aſſumtionem veneni, non contemnendae. In aſſumtione quoque nonnullae circumſtantiae contingunt, quales ſunt odores, colores et ſapores. Hinc quando odor alimentorum adfuit ingratus, ſaporque nauſeoſus, adeſſe ſuo modo poteſt praeſumtio veneni, in ſpecie, quando, poſt deglutitionem talis virulentae materiae, fauces et organa deglutitionis moleſtantur, ac cum dolore afficiuntur, item, quando poſt aſſumtionem ſtatim nauſea oritur, vel ſequuntur cruciatus ventriculi et inteſtinorum, ructus ingrati, ſingultus, vomitus, diarrhoea doloroſa, renum et veſicae dolores, vrinae ardores, pallor faciei, intumeſcentia abdominis, et reliquarum partium, motus impotentia, oſcitationes et pandiculationes, cardialgia, deglutitio difficilis, vomitus ac diarrhoea ſanguine mixta, tumor, ac cruentatio faucium, et dolor, teneſmus, ani procidentia, pulſus debilis ac celer, tremor artuum, cholera, colica, dyſenteria, liuor corporis partium, et febris. In fine iunguntur ſudores frigidi ſyncoptici, inflammationes gangraenoſae et maxime doloroſae partium internarum, deliria,

con-

conuulſiones, lipothymiae, pallor faciei, labiorum et vnguium liuor, cuticula vbique ſeparatur etc. ac tandem mors.

Poſt mortem in cadaueribus varia extraordinaria apparent et inſolita, qualia ſunt tumor abdominis, ventriculi et inteſtinorum maxima inflatio. Maculae etiam deprehenduntur liuidae in dorſo et pedibus. Aperto cadauere ſimiles maculae cadauerofae conſpiciuntur in ventriculo et inteſtinis, item et in aliis viſceribus, v. g. pulmonibus, hepate, liene, renibus, etc. Ventriculus et inteſtina interdum perforata ſunt a veneno, imprimis corroſiuo, item in plicis ventriculi, praeter liquamen corruptum, foetens, nigricans atque ſanguinolentum, ſeparata et veluti decorticata ſimulque cruenta interna ventriculi tunica offenditur, liquidis ventriculi innatans, maculae ſanguine tinctae ac vaſa venoſa ſanguine turgida ſuper ventriculo et ſuper inteſtinorum canali conſpiciuntur, reperiuntur interdum nonnulla ramenta de ſubſtantia veneni, quemadmodum hoc in duobus ſubiectis, ab arſenico interfectis, obſeruare mihi licitum fuit. Cor deprehenditur quoque flaccidum et corrugatum, ac notabilis in ventriculis cordis exiſtit ſanguinis congrumeſcentia. In capite, imprimis in arteriis carotidibus, venisque iugularibus, magna et extraordinaria ſanguinis coagulati copia plerumque deprehenditur. Dum enim a venenis conuellitur et conſtringitur cerebrum, ſanguinis circulus per haec vaſa impeditur. Quam maxime vero rite luſtrandae ſunt iſtae viae ſeu caua, quibus venenum, dum fuit deglutitum, applicatur, et quae ſunt *gula, oeſophagus, ventriculus atque inteſtina.* Ad quae potiſſimum, ſi haec caua inſpiciuntur, ſit attendendum, ſatis neruoſe b. IO. ERN. HEBENSTREIT *in Antrop. Forenſ.* p. m. 521. ſeq. expoſuit. Notatu maxime ſunt digna, quae ibi reperiuntur, ſequentia: *Interea*, inquit, *quanta vnquam fieri poteſt induſtria contenta ventriculi ad inueniendam veneni cuiusdam*

dam particulam, exploranda sunt. Colliguntur ista omnia in vase figulino vel alio; euacuati ventriculi superficies inspicitur, et, si quid forte pulueris est, quod intra eius plicas deprehenditur, studiose corraditur, vt experimentum vnum vel alterum cum illo instituì possit, et primum quidem in ipso iudicis conspectu portio liquidi istius, quod in ventriculo repertum est, in cochleari ex lamina ferrea, stanno obducta, desiccatur supra carbones, desiccata massa accenditur, tunc enim, si arsenicale venenum fuerit siue arsenicum album, vel cadmia ista fornacum, in quibus cobaltum funditur, quod vulgo FliegenGifft, FliegenCobalt, appellatur, vtpote quibus duobus pleraque veneficia perficiuntur, fieri aliter nequit, quam quo fumus exsurgat caerulescens, ac fator allii similis diffundatur, qui arsenico ita est proprius, vt iudicium hoc fallere nunquam possit Ast, si *auripigmentum datum esset, accederet flamma caerulescens ex desiccata massa atque accensa prouenìens. Praeterea, si arsenicale est venenum, cupro maculam inurit nigram indelebilem, et particula eorum, quae vel a viuo homine vomitu reiecta, vel in eius ventriculo reperta sunt, cani data suam vim deleteriam, enecto illo, subito commonstrabit. Consultum est, reperti intra ventriculos puluisculi, quantacunque etiam esse possit, particulam corradere, et tanquam corpus delicti actis inserere, quo experimentum a Facultate quadam Medica, si illius decreto opus est, repeti possit, et fieri quidem illud propterea etiam fas est, quo reperta in ventriculo res cum ista, quae apud suspectum de veneficio hominem inuenta est, comparari iudicarique possit, an eadem sit, vtpote quae comprobatio ad comprobandum crimen haud parum conferre poterit. Quodsi autem venenum aliquod arsenicale per sua signa sese haud prodit, tentanda sunt alia experimenta; ideoque si ☿ius sublimatus vel praecipitatus datus est, liquida ventriculi instillato alcalico liquore mutabunt colorem, et tingentur ex luteo; si +dum venenum est ex instillato alcali, et vicissim, si alcalicum venenum fuit, ex instillato acido, quaedam exorietur efferuescentia.*

Non

Non vero tantum de defunctis, et per venenum extinctis subiectis, sed et de illis simul, qui a venenis non perierunt, et tantum in morbos inciderunt chronicos, vel tales, per quos ad actiones humanas et ciuiles inhabiles redduntur, interdum quaestio oritur. In hac quaestione soluenda Medicus semper cautus esse solet. Arduum enim est, determinare, an quis a veneno aegrotet, a vero ex alia causa? Sic v. g. 1.) impotentia et sterilitas a medicamentis, vel potius venenis, promouetur, id quod omnes concedunt, e. g. per saturnina, atque emmenagoga fortiora, aliaque similia. Interim tamen talis effectus ab alia causa quoque oritur, v. g. nimia voluptate, erroribus diaetae, item a morbis, in corpore sponte natis. 2.) Vlcera in facie, et aliis cutis partibus, sordida et crustosa, maculae item, cum ingenti capitis dolore, defluuio capillorum, artuum tumore, nodis, et tortura, non tantum a venenis, sed et a lue venerea, scorbuto et arthritide quoque producuntur. Hinc in diiudicando cautus debet esse Medicus.

CAP. XXI.

DE NECESSARIA CADAVERVM INSPECTIONE.

1. *Qu. An in genere necessaria sit inspectio cadaueris occisi?*

Vtique necessaria est, vt appareat, an quis ex percussione, vel vulnere, vel alia laesione, obierit, nec ne. Hancce inspectionem 1.) S. Scriptura haud obscure praecipit.

cipit, ne inultus maneat sanguis, temerarie effusus. Extat enim Exod. 21, v. 12. Leuitic. cap. 24, v. 17. Numer. cap. 35, v. 16. 35. Qui hominem percusserit, vt inde moriatur, morte morietur. Quod si enim INDE, sc. ex plaga, vel contusione, vel vulnere illo, mortuus non fuerit, consequentia e contrario petita, illum morte mori non debere, clarum est. Reperitur quidem particula INDE non in versionibus: Sensus tamen Textus huius clarissime hancce connexionem exhibet. Id quod Celeb. STRYK. in *Programm. 1691.* edito, fusius exposuit. 2.) LL. publicae ad inspectionem cadaueris Magistratum obligant, praecipue *Const. Crim. Carol. V. Art. 147. et 149.* qui articuli fundamenta sunt legalis inspectionis. 3.) Praecipiunt itidem LL. statutariae omnes. Nam Magistratus loci cadauer defuncti, vel occisi, vi officii sui, nemine etiam postulante, nulloque accusante, etiam si delinquens aufugerit, a Medicis, Chirurgis, et Scabinis diligenter inspici, et vulnerum quantitatem et qualitatem notari, curare debet. Inspectio eiusmodi cadaueris adeo necessaria est, vt, omissa ea, nihil certi de reo statui possit, ob defectum certioris indicii, an occisus a vulnere mortuus sit, nec ne, et an tale vulnus simpliciter lethale fuerit. Innuit hoc CLASSEN. in *Comm. ad C. C.* vbi inquit: *Si inspectio, quae ad corpus delicti spectat, omittatur, ob defectum certae scientiae, an vulnus fuerit lethale, nec ne? poena ordinaria statui nequit. Quippe quae nunquam decerni potest, nisi facta prius diligenti cadaueris inspectione.* Hinc etiam multi homicidae ordinaria poena non puniuntur, ob culpam, vel negligentiam Iudicis, qui vel plane omisit cadaueris inspectionem, vel non legitime, et legaliter, in isto actu processit. Eiusdem tenoris sunt, quae CARPZ. in *Praxi Crim. P. I. Qu. 26 n. 30.* habet, vbi inspectionem cadaueris partem necessariam inquisitionis nominat. Nam nobis non solum de homicidio constare debet, sed etiam de omnibus qualitatibus et circum-

cumſtantiis homicidii, et praecipue occiſum ex percuſſione aut vulnere inflicto obiiſſe.

2. *Qu. Si quis derepente, telo lethifero vulneratus, obierit, an et tunc ipſa ſectio neceſſario ad vulneris lethalitatem determinandam requiratur?*

Verum quidem eſt, ſi quis percuſſus derepente moriatur, quod ibidem nec error diaetae, nec imperitia, aut incuria Chirurgi accuſari poſſit. Hinc ICti, inprimis STRYK *de I. S. diſſ. l. c. n. 23.* cum aliis ibi citatis, BRVNNEM. OLDEKOP. MENOCHIO, MASCARDO, inſpectionem neceſſariam eſſe negant, cum, ex vulnere diſceſſiſſe hunc, praeſumatur. Verum ſalua tot Viror. Celeb. auctoritate illis ſubſcribere non poſſumus. Nam vulneratus ex inflicto vulnere ſolo interdum non moritur, ſed ex alia cauſa ſimul, v. g. per morbum quendam latentem et fieri poteſt, quod terminus fatalis cum tempore illius vulneris coincidat, aut hoc breui poſt excipiat. Vid. BOHN. *de Off. Med P. 2. C. 4. p. 588.* Eiusdem ſententiae eſt Cl. VALENTINI, in *ff. Med. Legal. P. alt. Introd. Th. 8.* qui notabilem hiſtoriam refert, quod quidam a pollice, ab inſtante in pectus impacto, examinis corruerit, in cuius ſectione Empyema, a longis temporibus ibidem latens, a contuſione tali ruptum, cauſa mortis fuit. Haec itaque repentina mors a morbo latente potius producta fuit, quam a laeſione. Sic a leui ictu ſcuticae, *einer Peitſche*, in manum, vetula quaedam repentine periit, quam tamen non tam ab ictu, quam apoplexia, mortuam eſſe, Colleg. Med. Auguſtanum oſtendit. Vid. VALENTINI, *l. c. p. 36. et 37.* Tutiſſimum itaque eſt, immo abſolute neceſſarium, cadauerum ſectionem inſtituere, vt veritas cauſae magis euidenter appareat.

3. Qu. Quaenam personae ad inspectionem legalem sint necessariae?

Const. C. Carol. V. Iudicem, cum duobus Scabinis, Actuarium, et vnum, vel plures Chirurgos, ad hunc actum exposcit. Vid. Art. 149. De personis politicis, ad hunc actum deputandis, non sumus solliciti; sed tantum de Medicis. Necesse enim est, vt in omni inspectione Chirurgi, seu, quod magis est, Medici (nam Chirurgis solis vix creditur, vid. Cel. et Illustr. LVDOVICI, in *Comment. ad C. C. C. V. Art. 147.*) adhibeantur, quorum iudicium requirendum, an lethale, an vero non sit vulnus inflictum. Eorum quoque sententia standum, et duobus, vel tribus Medicis hac in re magis creditur, quam decem, et viginti testibus non Medicis. CARPZ. *l. cit.* nempe in *Praxi Crim. n.* 43. Medici vero et Chirurgi (non Balneatores, non Barbitonsores et Pharmacopaei) sint in Anatomia periti et exercitati. Vid. IOH. HADRIAN SLEVOGT diss. *de vulnerum exploratione.* Anatomia enim fundamentum est legalis inspectionis. Anatomici soli partium laesarum situm, connexionem et vsum norunt; hinc functionem turbatam describere, et quantitatem, qualitatemque vulnerum determinare possunt. Eiusmodi artifici, vel Anatomico, in sua arte creditur, consentientibus LL. legumque DD. vid. STRYK *de I. S. diss. 1. c. 2. n. 20.* Cum autem Chirurgi, in Anatomia versati, rarissimi sint, imprimis, degentes in Germania; ideo etiam haud accuratum iudicium de quantitate et qualitate vulnerum ab illis exspectare possunt iudices. Et consuetudo, quae vim legis habet, vbique recepta, obtinuit, vt Medici, imprimis Doctores, Licentiati, non bullati, sed legitime promoti, vel Physici iurati, in inspectione cadauerum adhibeantur, vtpote qui sine Chirurgis, non vero exclusis plane his, lethalitatem determinare possunt. Medici enim, imprimis promoti, publica habent eruditionis,

nis, doctrinae, et experientiae testimonia, hincque illis, ob depositum in promotionis actu iuramentum, certior fides habenda. Vid. *Resp. F. L. M.* in ZITTMANNI *Medicina Lips. for. C. 2. Cas. 34. et 61.* It. WELSCHIVM in *Renunciatione Vulner. lethal.*

Qu. 4. An Medicus solus, sine Chirurgo, inspectionem legalem instituere valeat?

Vtique Medico soli munus inspectionis legalis concedi potest. Nam finis per omnia obtinetur, legitima scilicet sectio, et inspectio, et genuina depositio, vel relatio speciei facti, cum sufficienti de ea iudicio. Vid. BOHN. *de Renunciat. Vulner. lethal. c. 8.*

5. Qu. An senior, vel iuuenis Medicus ad testificandum, et inspiciendum, sit adhibendus?

Perinde est, dummodo senior iudicio adhuc polleat, nec in ipsa senectute iuuenis in eruditione existat.

6. Qu. An postulari debeat ille Medicus, et Chirurgus, qui vulnerato viuo medebantur?

Si haberi potest alius, non. Nam, quando de lethalitate vulnerum per accidens quaestio oritur, in propria causa testari non possunt.

7. Qu. An Medici ad singulos eiusmodi actus, in specie inspectionem, sint iuramento confirmandi?

Iu-

Iurati Medici in *Conſtit. Crim. Carol. V.* requiruntur Art. 59. cum teſtibus non iuratis, ſecundum Axioma iuridicum, non credatur, nec peritis, quoad effectum Iuris, et, ſine iuramento, hinc nec Medicis, ne in fauorem renunciaſſe videantur, fides plenaria adhibeatur. Quod ſi tamen Medicus in Doctorem, vel Licentiatum, promotus fuit, et iuramentum ſolemne in promotionis actu iam praeſtiterit, vel ſi ab initio officii ſui iurauerit, vel ſi ad cadauera inſpicienda in ſpecie vocatus fuerit, et ſub primo actu iuramentum dixerit, illud reiterare non tenebitur, ſed primum ad omnes actus extenditur. Ita iudicat CLASSEN. et LVDOVICI, in *notis ad C. Crim. Art. 147. et 149.* BRVNNEM. in *Proceſſ. de Teſtibus c. 20. n. 63.* CARPZ. *loc. cit. n. 40.* STRYK *de I. S. l. c. n. 30.* Conſultum autem eſt, iuxta mentem poſterioris, n. 32. vt, qui ab initio officii iurauit, in actu inſpectionis admoneatur iſtius iuramenti, ad maiorem curam in inſpiciendo adhibendam. De Chirurgis itidem erit iudicium, vt in actu inſpectionis admoneantur iſtius iuramenti. De eruditis tamen Chirurgis hic ſermo eſt. Imperitis autem, licet centies iurauerint, fides nunquam erit adhibenda. Per iuramentum enim eiusmodi imperitus et rudis non emendatur, et falſe obſeruata nunquam per iuramentum vera euadunt, ſicuti recte iudicat BOHN. *Lib. de Off. Med. p. 444.*

8. *Qu. Num vnus, vel plures Chirurgi et Medici ad inſpiciendum cadauer requirantur, et cuinam, ſi lis oriatur, plus credendum?*

Vnus quidem expertus Medicus ad inſpectionem cadaueris ſufficit; quando vero plures adſunt, tunc et melius, et euidentius inſpectionem peragere poſſunt. Plus enim vident oculi, quam oculus, et alter alterum iuuare poteſt.

eſt. Hinc *Conſt. Crim. Carol. V.* plures, ſi haberi poſſint, Medicos requirit. Interim tamen vnus ſufficit. Vnus etiam Chirurgus, absque Medico, ſufficeret, ſi de eius peritia hac in re conſtaret. Sed cum eiusmodi Chirurgus in Germania rara ſit auis, vix Chirurgo ſoli hoc officium committitur, ſed Medicus ſemper addi ſolet, et debet (vid. LVDOV. *Comment. ad Conſt. Crim.*) ne Inquiſitus anſam habeat dolendi, et conquerendi, aut de imperitia Chirurgi, aut de inſpectione, ob abſentiam Medici, minus legali. Medici autem, qui actui inſpectionis intereſſe volunt, ſint requiſiti, rogati et vocati. Hinc communiter in Atteſtatis praemittunt formulam: *Auf ergangene Requiſition.* Interim aliis curioſis Medicis non praecluditur occaſio aliquid addiſcendi in eiusmodi caſu, ſed paſſiue ſeſe habeant, et ſpectatores agant, non Inſpectores. Contingit tamen interdum, quod, ſi vnus Medicus a Magiſtratu ablegetur, a parte rei, vel Inquiſiti, alius adhuc ad rite inſpiciendum cadauer inuitetur, quod Iure propitio fieri poteſt. Illius enim auctoritati nihil detrahitur, cum in re, ſanguinem humanum concernente, omnem reſpectum, et auctoritatem, ſeponere debeamus, nec in re tam ardua nimis cauti, ac prouidi, eſſe queamus. Medici tamen hi in inſpectione amice conſentiant, in relatione non varient, ſpeciem facti vnanimiter referant, cum ante oculos ipſorum ſit poſitum cadauer, quod tamdiu inſpicere valent, donec in deſcriptione vulneris conſentiant. Quando autem hi duo, aut tres, vel plures, a Magiſtratu ſimul requiſiti, poſtea in iudicio de vulneris qualitate, et effectibus, diſſentiunt, tunc, iuxta STRYK. *l. c. n. 21.* ſtandum a parte peritioris. Aſt, cum difficile ſit, peritiam vnius prae altero dignoſcere, plerumque integris Collegiis, et Facultatibus, Medicorum horum lis, ad decidendum committitur. Vid. MAVCHART *in Diſſ. de Medico Legali Inſpect.* et b. Autor in Diſſ. *de Cadau. Inſpect.*

9. *Qu. Quaenam sint requisita Medici inspicientis et deponentis?*

Sunt sequentia: 1.) Peritus sit. Peritia vero consistit in exacta notitia partium corporis humani. Noscat enim oportet eiusmodi Medicus omnium partium denominationem, situm, connexionem, structuram et vsum. Hinc optimus Anatomicus est etiam optimus Medicus deponens. 2.) Conscientiosus sit, pius et vir probus. Rationem enim reddere debet, et suo tempore de hac actione coram summo tribunali Dei omniscii, qui sanguinem humanum, innocenter effusum, non inultum sinet. 3.) Sit laboriosus. In inspectione enim omnem diligentiam adhibere debet. Singula necessaria notet, summa cum circumspectione, et, in relatione, obseruata sua describat, non obscure, sed perspicue, iuxta LL. artis, neque nimium concise, sed pro rei necessitate. 4.) Honestus insuper sit, nec lasciuis oculis, impuris manibus, indecenti ioco, verbisque obscoenis tractet id, quod cum verecundia rimandum.

10. *Qu. Quomodo inspectio ipsa sit suscipienda?*

Ad inspectionem legalem rite perficiendam varia requiruntur. 1.) Illa, quae ante inspectionem, 2.) quae in ipsa inspectione, 3.) quae post illam sunt necessaria. Vid. VALENTINI *ff. Med. Leg. Part. 2. in Introd. Th. 5.* et BOHN. *de Renunciat. Vuln. lethal. p. 10.* Ante inspectionem 1.) est tempus, vbi quaeritur, quando inspiciendum cadauer. Respondetur: Satis tempestiue, breui tempore post mortem vulnerati, pro declinanda putredine superueniente. Hinc *Constitutio Crim.* etiam praecipit, vt fiat inspectio ante sepulturam. Putredo

do enim mutat 1.) formam cadaueris, et laesionem, et in tali casu etiam Medicus peritissimus sugillationem vulnerum, a sugillatione cadauerosa, necrosin cadauerosam, a necrosi vulnerum, distinguere non potest. 2.) Nec Medicus eiusmodi putridum corpus, cum dispendio sanitatis, ac propriae salutis, inspicere tenetur. Vid. BOHN. *de Off. Med. P. 2. p. 582.* qui in duplici casu, ob foetorem, sectionem postulatam renuit. 3.) Talis inspectio nullius est vsus. Nam Medicus, et Iudex, finem suum, scilicet exactum iudicium de lethalitate, assequi non potest. Interim tamen contingit, vt post sepulturam, si forsan illa antea neglecta, vel illegaliter peracta fuerit, inspectio occisi et effossi corporis instituatur. Hoc fieri potest tamen tantum in certis casibus, imprimis ad detegendas fracturas in ossibus, praesertim capitis, molliores vero partes citissime corrumpuntur. 2.) Ad inspectionem legalem requiritur locus commodus, satisque lucidus, et, si fieri potest, illa magis instituenda in libero aere, quam clauso conclaui. Imprimis autem euitetur enormis hominum confluxus, ne turbetur Medicus in suo opere. 3.) Aliae circumstantiae ante inspectionem sunt examinandae, scilicet nomen et aetas occisi, constitutio naturalis, et praeternaturalis, ante, vel post vulnerationem. Arma, quibus laesus vulneratus fuerit, inquirenda sunt, si fieri potest, et inspicienda, ictus vehementia indaganda, item et situs corporis, qui in ipsa vulneratione obtinuit, examinandus, item locus, vbi laesus post vulnus procidebat, inuestigandus, an ibi eminentia quaedam dura, nec ne? Examinandum porro est, num laesus morem gesserit iis quae a Medico, vel Chirurgo, fuere praecepta, an subito succubuerit, et quaenam symptomata ipsi mortem accelerauerint, an Chirurgus et Medicus sero auxilium tulerint, an vulneratus isto tempore, quo ipsi vulnus fuit inflictum, in animi affectu constitutus vel ebrius fuerit. Diaeta quoque ante et post percussionem accurate indaganda. Adstantium Chirurgorum et Medicorum solertia,

et methodus medendi inquirenda. Tempus denique mortis probe inuestigandum, ob efficaciam dierum Criticorum. Vid. D. KNAVTH *diss. Inaug. sub Praesid. Ill.* WEDEL *de efficacia dierum Criticor. in Vulneribus.* Eiusmodi circumstantiae inspectionem non tantum exactiorem faciunt, sed et postea ad melius diiudicandum vulnus, et de lethalitate promtius ferendum iudicium plurima subministrant argumenta. Vid. PERILL. VAN SWITEN *Commentar. in Boerh. Aphorismos §. 153.* Examen eiusmodi circumstantiarum etiam exposcit *C. C.C.V. Art. 147.* 4.) Curet Medicus, inspectioni destinatus, ne ante aduentum suum Chirurgus initium inspectionis, et imprimis sectionis, faciat. Hoc ipso enim dubius redditur Medicus, an ita sese res ante inspectionem et sectionem habuerit? 5.) Ante sectionem profunditas vulneris neque stilo, neque ipso secante, vel pungente instrumento inuestiganda. Profunditas enim vulnerum nihil facit ad rem, et ipsa sectio profunditatem vulnerum manifestare potest, et debet, et, quod maximum, vulnera noua ita fieri possunt. Attamen comparatio vulneris et instrumenti laedentis institui potest.

II. *Qu. Quaenam in ipso inspectionis actu sint obseruanda?*

Ad legalem inspectionem sectio legitima et anatomica requiritur. Non enim sufficit sola externa contemplatio vulneris, vid. VALENTIN. *ff. Med. Legal. P. II. Sect. 1. c. 6.* sed requiritur sectio sufficiens, quae absolute necessaria est. Quod si tamen factum ipsum plane obuium et euidens fuerit, id est, causa mortis certa iam in superficie adparet, v. g. si infanti gula praescissa fuerit, aut si caput gladio bipartitum fuerit, tunc prolixa sectio non requiritur. Inspectio autem, vel lustratio, necessaria est. Sectio ipsa more Anatomicorum suscipienda est, prouida et suspensa manu, ne vulnera prius efficiamus,

ciamus, quam inuestigemus, monente BOHN. in *Off. Med. P. 2. p. 593.* Commendat quoque hic Celeberrimus autor, vt Medicus conſcientioſus inſpectionis director, propriis manibus ſectionem adminiſtret. Praeſtat enim manus, quam conſcientiam cruentare et contaminare. Sectio etiam inſtituenda vſitatis cultris anatomicis, non aliis. Querela enim ſaepe oritur a defenſore rei, quod inſtrumento inepto, quo facile partes incidi, et vaſa amputari queant, ad arduum eiusmodi negotium Medicus, vel proſector, fuerit vſus. Sic apud VALENTINI, in *ff. Med. Legal. P. II. Sect. 1. Caſu 8.* ſectio, nouacula inſtituta, nullitatis fuit accuſata. Nam Medicum adhibita nouacula arteriam ſubclauiam incaute diſſecaſſe putarunt. Porro non ſolum pars vulnerata et laeſa ſectione eſt aperienda, examinanda, eluenda, ſpongiis mundificanda, et adſtantibus Scabinis demonſtranda, ſed et ceteri ventres et cauitates ſunt diſſecandae et aperiendae, quia occiſus non a vulnere forſan, ſed ab alio quodam morbo latente perire potuit, notante hoc VALENTINI, *l. c. in Introd. th. 7.* Imo BOHN. in *Officio Med. p. 590.* aliquot exempla laeſionum internarum partium refert, absque externis violentiae ſignis. Hinc apertio omnium cauitatum interdum requiritur, imprimis, ſi cauſa mortis ſufficiens nondum inuenta ſit, alias Aduocatus occiſoris occaſionem arripit totum inſpectionis actum velut imperfectum reprobandi atque irritum faciendi. Vid. *Select. Med. Francof. Tom. I. Vol. III. p. 158.* In ipſa inſpectione Medicus notet et conſcribat, quae viderit, aut conſpexerit, aut aliis dictitet, Actuario nempe, ea, quae annotanda, et de Specie facti, ac qualitate vulneris, conſignanda fuerunt. Memoria enim labilis eſt, vel euenit ſaepius, vt, inter inſpectores, lis oriatur, an hoc, vel illud, in vulnere ita ſeſe habuerit? Quod ſi ſub ipſo inſpectionis actu haec annotata fuerint, nulla diſſenſione, aut altercatione, opus erit.

12. *Qu. Quaenam tandem post inspectionem sint facienda?*

Concipienda et extradenda est relatio, seu depositio, in cuius forma sequentia sunt annotanda. 1.) Quod Medicus et Chirurgus sit requisitus, et a quonam. 2.) Quibus praesentibus facta fuerit inspectio. 3.) In quonam loco, et quo tempore, inspectio facta sit. 4.) In relatione nomen et aetas occisi, interdum quoque statura notetur. 5.) Tempus vulnerationis, et tempus mortis, obseruetur. 6.) Diaeta, medicamenta, et tempus applicationis medicamentorum, aliaeque circumstantiae non sunt omittendae. 7.) Quomodo corpus externe se habuerit. Notandae enim sunt, iuxta *C. C. Carol. V. l. c.* omnes plagae, liuores, tumores, vulnera, ictus et contusiones, fracturae in singulis regionibus. 8.) Quaenam partes laesae, laceratae, ruptae, fractae, dissectae, et quomodo fuerint. 9.) Genus vulneris, figura, longitudo, latitudo et profunditas consignanda est. 10.) Quid intus vulneratum, et quae viscera, quae vasa. 11.) Sanguinis effusi quantitas vel aestimanda, vel ponderanda, et alia materia, in cauitatibus inuenta, denominanda. 12.) Vbi cruor haesit, vbi festucae in capite. 13.) Status viscerum reliquorum rimandus. 14.) Tandem iudicium de vulneratione addendum, cum rationibus cur illi ita sentiendum sit annexis anatomicis, physiologicis, pathologicis, chirurgicis, vbi consulendi sunt, ZITTMANN. in *Medicina for. Lips.* BOHN. *in Officio Med. et in Tract. de Renunciat. Vulner. lethal.* WELSCHIVS, *de Renunciat. Vuln. lethal.* AMMANN. *in Medicina Critica, & Praxi Vuln. lethal.* VALENTINI in *ff Med. Legal. et Nov. Med. Legal.* FORTVNATVS FIDELIS, in *Tr. de Relat. Med.* ZACCHIAS, in *Qu. Med. Legal.* ALBERTI in *Syst. Iurispr. Med.* Pfitzer in vernünftigen Wunden-Urtheil. GLANDORP in *Speculo Chirurg.* BAIER in *Introd. in Medicin. Forens.* GERICKE in *Diss.*

de

de Renunciatione Vulnerum. SNELLEN *in Diss. de Lethalit. vulnerum eorumque renunciationibus.* Anonymus quidam in der Kunst Chirurgische Berichte u. Wund-Zettul abzufassen, Budißin 1717. HASENNESTS *Medic.* Richter, FELTMANN *de cadauere inspiciendo*, aliique plures, vbi casus praesens semper cum aliis est aequiparandus, ne hallucinetur in iudicio Medicus. Non enim praecipitanter rem maximi momenti in chartam coniiciat, sed praemeditato consilio, et sufficienti rationum et argumentorum numero. Iudicium enim medicum semper de qualitate vulnerum expectat Iudex, quod fundamentum est omnis inquisitionis, et talis processus criminalis, Vid. CARPZ. in *Praxi Crim. P. 1. Qu. 26.* non tamen inutili prolixitate. Quodsi vero talis casus Medico nimis arduus videtur ad Facultatis cuiusdam Medicae iudicium seu sententiam prouocare, suamque suspendere poterit. Praeterea vt Medicus Aduocato occisoris omnem occasionem, inspectionis actum irritum reddendi, praescindat, necesse est, vt semper in concipiendo ita dicto Viso reperto, ad sequentia probe adhuc attendat, nimirum ne talia in ipso proponat, quae 1.) contradicunt iis, quae in ita dicta Registratura continentur, inprimis, quando concernunt essentiales delicti circumstantias; 2.) quae sunt superflua, omissis necessariis; 3.) quae sunt magis obscura; 4.) quae sunt manifeste falsa, et quae cum natura rei stare nequeunt.

CAP. XXII.

DE

VVLNERVM LETHALITATE.

1. Qu. Quid per vulnus intelligendum?

Vulnus significat alias solutionem continui partium molliorum ab instrumento acuto, et contradistinguitur vlceribus

ribus, rupturis, etc. In Medicina legali autem ſub ſe comprehendit omnem laeſionem externam, cum violentia factam, continuitatem partium ſoluentem, ſiue illa ſit *contuſio, punctio, ſectio, plaga, fractura, diſtorſio, luxatio, percuſſio capitis, thoracis, dorſi, abdominis, etc.* quae omnia vulnera dicuntur, quando de lethalitate quaeritur.

2. *Qu. Quid per τὸ lethale ſit intelligendum?*

Lethale eſt id, quod mortem infert effectu ſuo inſeparabili. Confunditur cum inſanabili, ſed falſe. Non enim omne inſanabile ſtatim mortiferum eſt. V. g. pars externa amputata per ſe non reſtituitur, vti auris, naſus, digitus, pes. Phthiſis & hydrops interdum exiſtit malum inſanabile, non vero ſtatim mortiferum eſt. Nec omne quod mortem infert, inſanabile ſtatim dicendum. Nam per incuriam Medicorum, Chirurgorum, errores aegrotantium et adſtantium, etc. vulnera efficiuntur lethalia, quae alias ſanabilia exiſtunt. Nec omne id, cuius pediſſequa mors eſt, lethale, ſiue mortale, appellandum, vt communiter vulgus, imo prudentiores, qui in hoc genere non ſunt verſati, volunt. Sed id demum *lethale dicitur, quod reuera per ſe, ſua natura, et vt tale, conſequentis mortis cauſa exiſtit, id eſt, quod tollit requiſita ad influxum liberum ſanguinis in cor et expulſionem ſanguinis recepti ex corde.* Hinc in Scholis medicis diſtinguitur inter vulnus 1.) per accidens lethale 2.) inter vulnus vt plurimum lethale. 3.) Inter vulnus ſimpliciter et abſolute lethale. Vid. AMMANNI *Praxis Vuln. lethal. Per accidens lethale* eſt id, quod curari potuiſſet, niſi hoc, vel illud interueniſſet, quod tamen non eſſentiale iſti laeſioni fuit, ſed accidentale, vel committendo, vel omittendo, aduenit. Vel vulnus per accidens lethale eſt id, ex quo, vt tali, nullus vulnera-

vulneratorum perit. *Vtplurimum lethale*, vel *frequenter lethale*, eſt, quod ſaepius ex ſe male cedit, non tamen ſemper, aut ſaltim tardius quoque hominem interficit. Dicitur etiam *periculoſum*. *Per ſe lethale* dicitur, quod immediate hominem ex viuis aufert, ſeu, inter quod et mortem nulla alia cauſa reperitur. Hoc per ſe lethale ſaepius aequiparatur et coniungitur cum *neceſſario*, *ſeu ſimpliciter et abſolute lethali*, ſed perperam, quemadmodum BOHNIVS *de Renunciat. Vuln. lethal. P. 31. et 32. et de Off. Med. P. I. c. 5.* monet, cum abſolute et neceſſario lethale quidem per ſe lethale dici mereatur, ſed per ſe lethale non ſtatim ex neceſſitate, et ſic abſolute lethale exiſtat. *Simpliciter et abſolute lethale* ideo eſt id, quod, omnem medelam effugiens, ſemper, breui tempore, vitam aufert, et omnem Medici et Chirurgi curam excludit. Hi termini quidem in Medicina legali ſunt recepti et vſitati. Ne vero confuſio oriatur, et Ictis, ac defenſoribus Aduocatis occaſio detur, ſiniſtre Medicorum renunciationes, interpretandi et diſtorquendi, ideo; iuxta monitum BOHNII, *l. c.* vulnera potius diſtinguenda ſunt 1.) in per ſe, et 2.) per accidens lethalia. In certis vero caſibus addi poteſt terminus abſolute lethale. Vid. ZITTMANNI *Medicina forenſ. p. 700. et ſeqq.* ubi notabile reperitur reſponſum.

3. *Qu. Itaque, quodnam vulnus in genere lethale per ſe ſit dicendum?*

In renunciatione non adeo attendendum, an vulnus huius, vel illius organi in genere ab Auctoribus lethale dicatur; ſed potius examinandum, an hoc praeſens et indiuituale vulnus, de quo quaeſtio eſt, et de quo iudicium ferre debet Medicus, ſit lethale, an non? Nullius enim partis corporis humani vulnus, ſecundum nonnullos, in genere lethale dici poteſt; ſed, pro diuerſitate, et vario laeſionis modo, in hoc indiuiduali ſubiecto taliter, vel taliter pronunciari debet.

 Hinc,

Hinc, juxta sententiam certorum Autorum, nec cordis, nec cerebri, nec ventriculi vulnera in genere, sine omni respectu, simpliciter et absolute lethalia aestimari et dici debent, nisi profundiora fuerint, cum superficiaria ad mortem non semper tendant, quemadmodum obseruationes confirmant, et confirmarunt olim. Deinde nec auctoritas venerandorum nostrorum in arte patrum, HIPPOCRATIS, GALENI, CELSI, aliorumue neotericorum sententia, renunciatio et casus, pro regula lethalitatis absolute est statuendus; aut coeco consilio obtemperandum. Eorum enim auctoritas et experientia non semper sufficit ad arduum hocce negotium expediendum. Agitur hic de vita Inquisiti, vel rei. Ideo in eiusmodi renunciatione potius omnes circumstantiae probe sunt examinandae, et iudicium ferendum postea de Specie facti, de casu hoc indiuiduali, iuxta principia anatomica, physiologica, pathologica et chirurgica. Hoc facto experientia aliorum in subsidium vocanda, et auctoritate eruditorum renunciatio confirmanda. Generalis itaque regula, ad cuius normam vulnus in genere lethale dici meretur, et ex qua speciales regulae formari possunt, est haec: *Quodcunque vulnus corporis nostri machinam hydraulico-pneumatico-vitalem laedit, eiusdem oeconomiam turbat, vt vel in momento, vel post aliquod tempus illa tollatur, et cui ruinae subuenire nemo potest, seu quod tollit requisita ad influxum liberum sanguinis in cor et expulsionem sanguinis recepti ex corde, illud mortale, siue lethale, dicendum.* Minor propositio ex specialibus casibus desumenda, et postea conclusio formanda. E. hoc speciale. Rite hinc omnia sunt perpendenda, antecedentia, concomitantia et consequentia, ut subsumtio recte inferatur. Cum autem a parte laesa praecipua sumatur indicatio, si ad lethalitatem per se, aut absolute talem, peruenire velimus, lustremus ipsas partes corporis nostri. Distribuuntur autem, secundum notam Hippocratis diuisionem, in continentes, contentas, et impetum facientes. Sub istis intelliguntur partes solidae, vt cor, pulmo-

pulmones, ventriculus, vaſa etc. Sub illis humores, vt ſanguis, chylus, bilis, urina, etc. Sub his ſpiritus, vel fluidum nerueum, qui ſunt motores corporis noſtri, et praeſides actionum, quae in oeconomia noſtra peraguntur. Ex hac diuiſione partium fluunt regulae aliae ſpeciales, et lethalitatem indicantes, et quidem prima haec: *Quodcunque vulnus influxum neruoſi liquidi a cerebro in cor intercipit, illud lethale eſt dicendum.* Locum haec regula inuenit in vulneribus venenatis, capitis, cerebri, cerebelli, ſpinalis medullae. Nam ibi ſpiritus elaborantur, ſecernuntur et diſtribuuntur, quae lethalitas etiam mox ſe manifeſtat per ſubſequentem ἀναισθησίαν, ſtuporem, apoplexiam, epilepſiam, vomitum. Haec regula etiam applicari poteſt ad vulnera neruorum praecipuorum.

Secunda regula ſpecialis eſt: *Quodcunque vulnus enormem effuſionem humorum vitalium praeſtat, ſiue vno impetu, ſiue ſucceſſiue, et quidem in loco inacceſſibili, cui medicamenta ſtyptica, aliaque balſamica neceſſaria, non poſſunt applicari, illud lethale eſt.* Nam tollit circulationem ſanguinis et humorum. Circulationem ſanguinis principium eſſe vitae, et ſanitatis praeſidium, omnes concedunt. Vid. ILL. BERGER. *diſſ. de Vita et morte.* Haec vero fieri non poteſt ſine ſufficienti ſanguinis quantitate, quae vaſa conuenienti modo replere et impellere debet. Hinc ſacer Codex, *Deut. C. 12. v. 23.* ſanguinem etiam animam eſſe, affirmat. Quando itaque arteriae et venae, earumque rami maiores imprimis, laeduntur et ſecantur, vel in totum, vel in tantum, in loco inacciſſibili, lethalitas abſoluta et momentanea ſequitur. Vulnera enim arteriarum vbique difficillime coeunt. Nam ſunt in perpetuo et notabili motu. Hinc interdum in locis extremis quoque lethalitatem inferunt. Huc pertinent et vulnera ductus thoracici, et choledochi.

Tertia Reg. Specialis haec eſt: *Quodcunque vulnus corporis noſtri organon, vel partem, ad vitam ſimpliciter neceſſariam notabiliter, atque profunde laedit, eiusque actionem ſufflaminat, vel*

tollit, per ſe lethale eſt dicendum. Hinc vulnera cordis, cerebri, ventriculi, inteſtinorum, hepatis, lienis, renum, diaphragmatis, iuxta HIPPOCRATEM, *Aph. 18. S. 6.* mortalia pronunciantur, id quod CELSVS confirmat, *Lib. V. de Re medica c. 26.* Hæc tamen pronunciata cum grano ſalis ſemper ſunt intelligenda. Nam leuem laeſionem organa talia interdum perferre poſſunt.

4. *Qu. Quaenam circumſtantiae porro ad τὸ per ſe lethale pertineant?*

Circumſtantiae hae ſunt ſequentes. 1.) Vulneris quantitas, qualitas, et figura. 2.) Partis laeſae textura, ſitus, & vſus. 3.) Vulnerati aetas, et diſpoſitio naturalis corporis, morbi eius antecedentes, et praeſentes, ac tandem ſuperuenientia ſymptomata, quae omnia periculum variant.

Ratione quantitatis *permagnum vulnus* ſecundum trinam dimenſionem ſaepiſſime mortale eſſe ſolet. Nam ita enormiter ſtructura, et actio organi laeditur, magna haemorrhagia ſequitur, et conſolidatio difficillime procedit.

Anguſta vulnera, profunda tamen, quoque periculoſa ſunt, imprimis ſi dilatari non poſſunt. Nam ſanguis, et pus, item et alia materia, ibi ſtagnans, corruptionem praeſtat. Hoc applicari poteſt ad vulnera cranii, capitis, thoracis, et abdominis.

Ratione qualitatis notandum, vulnera, cum contuſione, et dilaceratione facta, peſſima eſſe. Nam habent ſtatim grauiſſima ſymptomata, nempe inflammationem, conuulſionem, et νέκρωσιν. Punctim vero et caeſim facta fibras aequaliter ſegregant. Hinc eiusmodi ſymptomata non ſequuntur.

Vulnera ſclopetorum, et tormentorum bellicorum, contundunt, dilacerant, et adurunt partes. Hinc ſtatim ad νέκρωσιν diſponunt. Ergo prae reliquis ſunt lethalia.

Vulnera inſtrumentorum venenatorum inflictu etiam minimo

nimio lethalitatem inducunt. Nam venenum ita immediate ſanguini communicatur, et vehementius in illum agit, quam venenum ore aſſumtum. Nam, ſicuti alibi iam dictum fuit, in ventriculo, et inteſtinis a viſcoſitate, ibi exiſtente, venena tantiſper alterantur, et in actiuitate ſua imminuntur, id quod REDI, in *Obſerv. ad Dn.* MAGALOTTI *ſcriptis*, fuſius oſtendit.

Ratione figurae vulnera rotunda aliis periculoſiora iudicantur. Nam latera eiusmodi vulnerum magis a centro diſtant, hincque difficillime coeunt, quae obſeruatio tamen magis ad *πρόγνωσιν* in viuo homine pertinent. Simile quid dicendum de vulneribus, cum imminutione ſubſtantiae coniunctis, quae etiam difficillime reunionem admittunt.

Ratione texturae vulnera membranoſarum partium, tendinoſarum, neruoſarum, item ex meris vaſculis coagmentatarum, periculoſiora ſunt, quam muſculoſarum partium vulnera, quia, propter grauiora ſymptomata, difficillime conſolidantur. Hoc applicari poteſt, et debet, ad vulnera diaphragmatis, in centro neruoſo, veſicae in fundo, lineae albae, vel etiam circa *ἀπονεύρωσες*.

Ratione ſitus vulnera, quibus medicamenta immediate applicari non poſſunt, lethalia fiunt. Ex hac ratione cenſentur lethalia vulnera ventriculi, inteſtinorum, lienis, renum, pulmonum, etc. Ob ſitum quoque in conuenientem vulnera nonnulla fiunt lethalia, imprimis, quando hae partes comprimi non poſſunt. Hinc vulnera vaſorum colli, iugularium, atque carotidis, axillarium, brachialium, et cruralium in partibus ſupremis, mortem inferunt. Vulnera in loco abdito, quo oculus Chirurgi, eiusque manus pertingere non poſſunt, imprimis, ſi externe nulla vulneratio incurrat, lethalia plerumque ſunt, et fiunt. Huc pertinent vulnus plexus choroidaei, vulnera meningum, vaſorum durae, et piae matris, a ſola capitis contuſione, ſine cranii laeſione. Nam

etiam non laeſo cranio vaſa interna rumpi poſſunt. Moritur igitur vulneratus ex ſanguine putreſcente.

Ratione vſus omnium maxime lethalia fiunt vulnera in partibus nobilibus, et ad vitam ſimpliciter neceſſariis. Hinc vulnera cordis, etc. ex ſupra dictis ſunt lethalia. Nam turbant enormiter oeconomiam corporis. Nec reliquae circumſtantiae, ſupra allegatae, ſubiectum vulneratum concernentes, ſunt negligendae, vt aetas, diſpoſitio naturalis, et praeternaturalis, animi affectus, etc. De lethalitate enim ſemper quaeritur in ſubiecto indiuiduali, Caio, Titio, Sempronio etc. Hinc ſi Caius vulneratur lethaliter, nihil obſtat, nec excuſabit reum, quod infans fuerit, vel indiuidualem conditionem habuerit, quae eum diſpoſuerit, vt facilius ad mortem laedi potuerit. Auget potius illa conditio lethalitatem, quia concurrit ad immediatam mortis cauſam. Valet hic, quod alias de contractu ex *L. 19. ff. de R. J.* ICti proponunt: Qui cum aliquo contrahit, non eſt, vel non eſſe debet ignarus conditionis eius, cum quo contrahit. Simili modo, qui laedit infantem, vel ſenem, vel morboſum, ſcire debet, ſe eiusmodi ſubiectum vulnerare, quod ex hoc vulnere perire poteſt, praeſertim, cum in re illicita ſit conſtitutus percutiens, omnem euentum hinc voluiſſe cenſetur, ex tali actu illicito prouenientem.

Ratione aetatis ſi percuſſus fuerit infans, aut puer tenerioris texturae, illa laeſio ſemper erit maior, et periculoſior, ob partium corporis mollitiem, et ſic minorem reſiſtentiam. Imprimis autem laeſio capitis minima, ob mollitiem cranii, euadere poteſt lethalis. Accedit et hoc, quod in infantium capitibus vulneratis non poſſit inſtitui trepanatio, quae, ad ſanguinem, ſub cranio latitantem, educendum, unicum eſt remedium. In ſenili aetate etiam omnes laeſiones ſunt periculoſiores, partim ob ſpirituum defectum, et neruorum debilitatem, partim ob ſanguinem craſſiorem. Hinc facile ſequuntur grauiſſima ſymptomata, apoplexiae, ἀναισθησία, conuulſio, inflammatio, νέκρωσις.

Diſpo-

Dispositio certa corporis etiam lethalitatem praestare potest, v. g. Cranii extraordinaria constitutio, et subtilitas, partium internarum extraordinarius situs, imo inuersus plane. Vid. HOFFMANNI *diss. de Inuersione cordis*. In statu morboso, v. g. hectica, phtisi, obstructionibus lienis, hepatis, hydrope, vulnera, etiam minima, et alias vix lethalia, lethalia fieri possunt, et causam mortis immediatam constituere. Nam eiusmodi personae per se sunt debiles, et vitia sanguinis augent vehementiam symptomatum, ideoque lethalitatem. Vid. celeb. BOHN. *de Lethalitate Vuln. Ed. nou. p. m. 47.* qui solide ibi ostendit, morbos antecedaneos lethalitatem vulnerum non tollere, et argumenta contradicentium ibi destruit. Interim tamen omnes circumstantiae probe ponderandae, ne fiat iniuria. Vid. et PERILL. VAN SWITEN *Commentar. in Aphorism. Boerhau. §. 172. p. m. 280. seqq.*

Animi affectus, ut ira, terror, etc. si accesserint in vulnere, per se lethali, eius lethalitati nihil derogare possunt. In vulnere autem non lethali per accidens illud lethale reddunt. Quando vero dubia est lethalitas, absolutam lethalitatem non inferunt, cum credibile sit, quod non vulnus, sed potius animi affectus, immediata mortis causa extiterit, iuxta notam in iure regulam, quod nempe in statu dubio semper mitior sententia sit ferenda.

Symptomata quod attinet, ex eorum congerie, et pluralitate, et vehementia in homine, adhuc viuo, concludunt Medici, tale vulnus esse lethale, et contra, vulnus, grauioribus symptomatibus destitutum, non lethale ordinarie praesumitur. Si vero de symptomatibus vulnerum post mortem vulnerati quaeritur, tunc magna disputatio plerumque oritur inter Medicos, et causarum patronos, de quaest. nempe, an vulneratus ex symptomatibus potius, an vero ex vulnere perierit? In tali casu symptomata probe sunt examinanda, et distinguenda. Nam sunt triplicis generis. Vid. celeberr. BOHN. *l. c. p. 53. et seqq.* 1.) Quaedam symptomata a vulnere ipso, et

parte

parte laesa oriuntur, hincque inseparabilia fere sunt a vulnere. V. g. stupor, stertor, epilepsia, *convulsio*, delirium, vomitus, sunt effectus laesionum capitis. Et porro vomitus, singultus, nausea, in ventriculi vulneribus semper obseruantur. Si ideo eiusmodi symptomata statim post laesionem obseruantur, et ad ultimum vitae terminum usque perdurant, tunc genuinae istius vulneris sunt filiae. Hinc aeque lethalia sunt, ac vulnera ipsa, cum sint effectus vulnerum. 2.) Quaedam contra symptomata rarissime contingunt, et fere nullum habent commercium cum vulnere, nec ex vulnere oriuntur, sed ex alia caussa, v. g. si in vulnere capitis oritur gangraena in pede, aut quando in vulnere vesicae oritur pleuritis, aut in vulnere abdominis apoplexia. Si ex eiusmodi symptomate aeger moritur, non moritur ex vulnere. Nam eiusmodi symptomata cum laesionibus nullam fere habent connexionem. 3.) Quaedam symptomata dicuntur media. Possunt saltem originem ducere ex vulnere partim, partim ex alia caussa. Haec symptomata maximam in renunciando pariunt difficultatem, id quod BOHN. *l. c.* confirmat, qui insimul ibi argumenta contradicentium exposuit. Optimo ideo hic iudicio opus est. Nam regulae generales hic non semper applicari possunt ad singula indiuidua.

5. *Qu. Annon aliae circumstantiae, v. g. a telo lethifero, et tempore mortis desumtae, ad lethalitatem, per se talem, quid faciant?*

Officium Medici quidem exposcit, et de his ex adstantibus quaerere, instrumentum laedens oculis usurpare, tempus laesionis, insequentium symptomatum, imo mortis indagare, vulnerisque externam figuram considerare. Nullum tamen horum ad absolutam lethalitatem determinandam quid

quid conferre poteſt. Praeſumtio equidem eſt, quod gladio acuto, aut baculo grandiori, grauior laeſio fieri poſſit, quam alio inſtrumento leui, et minus acuminato. Sed poteſt etiam leuis tantum percuſſio fieri grandiori inſtrumento, ſecundum vires percutientis, vt non adeo notabiliter, multo minus ad lethalitem vsque, percuſſus vulneretur, et contra quando quis leui alias inſtrumento, magna quidem cum vehementia moto, percutitur, percuſſio talis lethalis euadere poteſt. Hinc ex ſolo inſtrumento laedente non deſumitur argumentum lethalitatis per ſe, ſed ex inſpectione id demum innoteſcere debet. Haec autem ſi negligenter inſtituitur, in ancipiti relinquitur, quousque penetrauerit inſtrumentum lethiferum, aut quamnam partem, et quomodo laeſerit. Telum ideo lethiferum non ſemper certi quid in lethalitate determinare poteſt, quemadmodum ex inſtrumento, alias non laedente, non ſtatim quis argumentari poteſt ad lethalitatem per accidens. V. g. ſi ſola manu alterius caput quis feriat, commotio cerebri lethalis exinde fieri poteſt, et laeſio haec erit lethalis. Sic ſi quis percutitur circa regionem epigaſtrii, praeſertim circa ſcrobiculum cordis, ſtatim ſequitur aſphyxia, reſpirationis interceptio, imo mox ipſa mors. Quis itaque dubitat de lethali hac laeſione? Item ſi quis ferula, aut paruo baculo, caput hominis tenerrimae conſtitutionis laedit, laeſio fieri poteſt lethalis. Nam percuſſio non diiudicari debet, nec poteſt, ex inſtrumenti quantitate, et qualitate, ſed vires percutientis primario effectum praeſtant. E. g. Milo Crotonienſis, athleta robuſtiſſimus, in certamine Olympiaco taurum ictu nudae dextrae iugulauit, et Simſon maxilla carioſa aſini mille Philiſtaeos.

An vero Inquiſitus, qui inſtrumento non lethifero hominem vulnerauit, et interfecit, ordinaria poena puniendus ſit, Medicus non determinat, ſed hoc ICtis relinquendum.

Ex tempore mortis, mox inſequentis, lethalitatem plerumque concludere ſolent ICti. Dicunt enim, naturam

ipsam demonstrare per breue temporis spatium, percussum ex vulnere mortuum esse, vt CARPZ. in *Praxi Crim. P. I. Qu. 26. n. 9.* MASCARD. *de Probat. Concl. 1079. n. 5.* BRVNNEMANN. *Proc. Crim. Inq. C. VII. n. 27.* FELTMANN. *de Cadav. Inspect. C. VI. Th. 7.* STRYK. *de I. S. Diss. 1. C. 3. n. 23.* Dolendum vero, quod in termino constituendo admodum inter se sint dissentientes. Nonnulli enim ad duos, vel tres dies, alii octo, alii decem, alii ad aliquot menses, imo annum, imo triennium, lethalitatis terminum extendunt, teste FARINACEO, in *Praxi Crim.* CLASSEN, in *Not. ad Const. Crim. Carol. V. art. 147.* CARPZ. *l. c. n. 90.* Sed dissensus Ictorum in hac materia indicat, quod a tempore non tutum formetur argumentum, inprimis, cum non praesumtiones, sed probationes in criminal. a LL. desiderantur, iuxta *L. fin. C. de Probat.* Quemadmodum enim ex tarditate mortis non semper concludi potest, quod vulnus sit per accidens lethale; differunt enim subiecta, differunt circumstantiae, quae sane infinitae sunt; Ita ex celeritate mortis non possumus concludere absolutam lethalitatem, monente celeberrimo BOHNIO, *l. c.* et Ill. WEDELIO, in *dissert. de Fundamentis lethal. Vuln.* V. g. pinguedo obstruere potest vulnus vasorum, cuius haemorrhagia alias lethalitatem momentaneam praestat, et sic tantisper mors differtur, non vero aufertur. Vid. SCHOEPFERI *diss. de Haemorrhagia Vuln. C. 2.* ABRAH. VATERI in *diss. de vulnere cerebri sclopetario septima hebdomate absolute lethali. Vitemb. 1722.*

CAP. XXIII.

DE

LETHALITATE VVLNERVM SINGVLORVM ORGANORVM CORPORIS HVMANI.

1. Qu.

I. *Qu. Quid ſtatuendum ſit de vulneribus capitis?*

Diſtinguuntur vulnera Capitis in *Externa* atque *Interna*. Externa audiunt quae tantum laedunt externa; *Interna* vero vacantur, quando penetrauerunt ad contenta in caluariae cauuo.

Ad vulnera capitis externa pertinent vulnera integumentorum communium, cranii, ad vulnera vero capitis interna referuntur vulnera durae et piae matris, cerebri, cerebelli et ſpinalis medullae.

Sub vulneribus integumentorum comprehenduntur vulnera cutis, ſiue in parte capillata, circa verticem et regiones ſincipitis, ſiue in occipite, ſiue in fronte, ſiue circa tempora. De his notandum, quod talia vulnera non ſint lethalia, et ſe habeant, vt *ſchlechte Fleiſch-Wunden*, ſicuti Chirurgi noſtri loquuntur. Interim tamen haec vulnera non ſunt vilipendenda, innumera enim habemus exempla, quae docent, haec vulnera peſſimos ſaepe poſſe producere effectus propter propinquitatem muſculorum, tendinum, ſuturarum, perioſtii, neruorum, vaſorum, cerebri.

Vulnera cranii, quae penetrant vel externam tantum, vel externam et internam laminam ſimul, quoque non ſunt lethalia, quo pertinent fracturae, fiſſurae et contrafiſſurae cranii. Hae enim laeſiones omnes ad vulnera ſimpliciter lethalia non pertinent, docente hoc ratione, et confirmante experientia. Cranium enim eſt murus, et munimentum cerebri, iniurias remouens. Ideo ad vitam ſimpliciter neceſſarium organum non eſt, adeoque vulnus eius, vtut profundum, vitam hominis per ſe non tollit remedia potius admittit, ſymptomata per ſe lethalia non efficit, multo minus cauſa eſſe poteſt immediata mortis. Sic TVLPIVS, Medicus celeb. olim Amſtelodam. fracturam cranii ingentem ſola

trepanatione curauit. Vid. *Obseruat.* eius, *L. I. c. 14.* Et quamuis quamplurimi reperiantur, qui trepanationem periculosam, et difficilem operationem vocant; tamen infinita exempla non tantum, sed et ipsa ratio anatomica eius certitudinem et excellentiam confirmat. Vid. BOHN. *diss. de Trepanationis difficultate.* Sic et fungos cerebri, ex vulnere cranii, et meningum, post trepanationem natos, absque metu, excidi posse, testatur COWPERVS, in *Anatom. Corp. hum. fig. 8.* Vid. *Acta Erud. Lips. anno 1699.* Hancce de vulneribus cranii sententiam confirmant plures obseruationes aliae. Sic in Dn. MANGOLDT, *Med. Prof. in Acad. Rintelens. dissert. de Vulner. lethal.* reperitur sequens Historia: Vir generosus, cuius caput, ante aliquot annos, acinace in Hungaria vulneratum, atrocissimis capitis doloribus vexatus fuit, ob cauitatem cariosam, stilum maiorem ad duos digitos transuersales admittentem, in concursu suturarum, coronalis et sagittalis, natam. Hic, ex consilio Professor. in Acad. Regiomontana, sustinuit trepanationem, et quidem primam prope dictum suturarum concursum, secundam vero, et tertiam prope suturam lambdoidaeam. Hisce tribus foraminibus demum in vnum triangulare, singulari, ad hancce operationem confecta serra, redactis, in conspectum veniebat fungus ingens cerebri, cum sanguine corrupto, intra meninges, et cranium contento. Hoc vulnus autem postea consolidatum fuit, et sic aeger felicissime pristinae sanitati restituebatur. Notabilem fracturam, imo comminutionem, in homine, per 40. annos superstite, speciali dissert. exposuit celeberr. Prof. SALTZMANN, *Argentorat. von einem Boettger, oder Weinküfer, dem ein stück Faß Wein, so er vom Lager heben lassen, unversehens niederfaellet, und ihm gleich das gantze* os frontis *abschlaeget.* Sic et Dn. Dr. VOLLAND, *Med. Greusensis*, nobilem iuuenem, qui a casu ab alto fractura cranii, cum festucis, laborauit, adhibitis debitis remediis feliciffime curauit. Simile exemplum in puero octo annor. legitur in BONETTI *Medicina Septentrional. T. I. L. 1. Sect. 3.*

Vul-

Vulnera musculorum temporalium, item vulnera, in fronte, supra orbitae oculi limbum superiorem, inflicta, a nonnullis quidem valde periculosa pronunciantur, ob arteriam, tendinem validum, et pericranium, sed absque sufficienti fundamento. Hinc merito illis contradicit BOHNIVS, *Tr. de Vulneribus leth. p.* 77. vbi exempla plura reperiuntur profundorum musculi temporalis vulnerum, felicissime tamen restitutorum. Non tamen negandum, quod fiant laesiones cranii aliquando lethales, et, iuxta HIPPOCRATEM, nullum vulnus capitis, nè leuissimum quidem, negligendum. Contingere autem solet, vt vulnera capitis lethalia fiant, 1.) quando fissura, vel contrafissura, contingit. Vid. BOHN. *l. c. p.* 80. *et* 83. Imprimis vero, quando eiusmodi fissura coeca est. Et 2.) Vulnera cranii fiunt periculosa, quando non dignoscuntur, nec remedia conuenientia applicantur, vel applicari possunt. Nec fractura cranii semper lethalis erit, id quod confirmant antea allegata exempla, et imprimis maior fractura cranii minus periculum inducit, quoniam sanguis per maiorem fracturam citius educitur, quam per minorem. Quando vero, illaesa lamina externa, interna finditur, vel frangitur, imprimis in parte, laesioni opposita, qualia exempla BOHN. *l. c.* refert, tunc, cum PAWIO, *in Hippocratem, de Vulneribus Capitis, p.* 82. infelices, ac infortunatos eiusmodi percussos proclamare possumus, quoniam plerumque nec ipsi sciunt, an, et in quo loco sint laesi, nec Medicus, et Chirurgus de hac re certior fieri potest, nisi eo tempore, cum omnia conclamata sunt. Et PARÆVS inquit, „cum nullo certo signo fracturae cranii genus dignosci possit, si quando „ ex tali vulnere mors consecuta fuerit, venia dignum cen- „ sendum esse Chirurgum. „ De fracturis cranii plura legi possunt in BERENGARII *speciali Tract. de Fractura Cranii.* Formamus hinc ex his iam dictis conclusionem hanc generalem: *Nullum vulnus externum capitis est, si subsistit in ossibus caluariae, quin curationem admittat, adeoque, si quis tali vulnere accepto moritur,*

ritur, ex vulnere per accidens lethali accubuisse perhibetur. Interim tamen tale vulnus externum semper eo est periculosius, quo causa vulnerans profundius adacta plures partes caluariae externa, simul laeserit.

Vulnera cranii, per meningem duram, siue duram matrem, penetrantia, sunt quidem ambigua, et periculosa, sed non semper lethalia. Est quidem dura mater embolus cerebri, siue causa primaria motus fluidi neruosi, quae pressione sua fluidum nerueum a cerebro per neruos ad partes promouet. Hinc, quando motus durae matris, et sic eius actio laeditur, tunc necessario mors sequitur. Cum vero dura mater sit musculus, ideo eiusmodi vulnus consolidari potest, id quod ratio docet, et experientia confirmat. GLANDORP. in *Chirurg. Obseru* 4. expresse inquit, quod dura mater, quando, facta trepanatione, sub illa pus, aut sanguis, appareat, tutissime sit incidenda. Hoc confirmat BLANCARD in *Obs. Med Phys. C.* 1. *Obs.* 27. Vulnera quoque durae matris, per sectionem inflicta, non adeo sunt periculosa, ac illa, quae cum contusione, et dilaceratione quadam contingunt. Nam ibi erit inflammatio leuis, hic vero enormis, et sic per consequens symptomata longe contingunt grauiora, cum quibus vulnerati plerumque moriuntur.

Vulnera sinuum durae matris, imprimis maiorum, sunt lethalia. Etenim, iuxta PACCHIONIVM in Tr. *de dura matre*, concurrunt circa sinus, falcatum imprimis superiorem et laterales exteriores, tendines musculorum durae matris, et quemadmodum omnium tendinum vulnera periculosissima sunt, ita longe vehementiora erunt haec vulnera, in quibus simul 2.) contingit enormis haemorrhagia, quae nullo remedio stiptico sisti potest. Hinc sanguis effunditur intra spatia durae, et piae matris. Cerebrum comprimitur, eius tonus destruitur, et vulneratus plerumque paulo post moritur. Interim MARCETTVS, in *Obs. Med. Chirurg. n.* 4. annotauit vulnus sinus falcati, ad corpus callosum penetrans, quod tamen gossy-

goſſypio vſto, bolo Armena, ſanguine draconis, et albumine oui feliciſſime fuit curatum. Sed vna hirundo non facit ver, et hoc exemplum non probat, quod ideo omnia eiusmodi vulnera ſint ſanabilia.

Vulnera cranii, per meninges in ſubſtantiam cerebri corticoſam et medullarem penetrantia, ſinubus ſc. durae matris ventriculisque et plexu choroidaeo illaeſis, ad vulnerum, vtplurimum lethalium, claſſem pertinent.

Hippocrates quidem omnia vulnera cerebri lethalia pronunciat, *L. 6. aph. n. 18.* et certum eſt, quod cerebrum ſit pars nobilis, imo nobiliſſima, ſpirituum animalium fons et origo, metropolis animae; interim tamen, quando vulnera cerebri non concomitantur grauiſſimis ſymptomatibus, et ita ſunt comparata, vt remedia applicari queant, ſanguisque extrauaſatus, et purulenta materia educi, tunc nonnullos euaſiſſe, experientia teſtatur. Vid. AMMANNI *Medicina Critica*, *Caſ. 46.* ill. BVCHNERI Diſſ. *de vulneribus cerebri non ſemper lethalibus, Halae 1750.* Sic in Bibliotheca Boruſſica Regiomontana curioſis monſtratur telum, quo nobilis Colonelli caput et cerebrum erat vulneratum, quod tamen poſtea, cum ſalute aegri, per palatum exiuit. Similiter prodigioſorum vulnerum cerebri exempla, cum ſubſtantiae effluxu, reperiuntur in SCHENCKII *obſeru. L. 1. n. 40. et 74.*

Vulnera cerebri profunda, ſiue cum fractura cranii, et particulis oſſium acutis, per corticem et medullam cerebri penetrantibus, adacta, ſiue cum ventriculorum, corporis calloſi, ſepti pellucidi, plexus choroidaei, corporum ſtriatorum laeſione, ſanguinis extrauaſatione, intumeſcentia, putreſcentia, ſimpliciter, et abſolute lethalia iudicantur. Nam 1.) partis nobiliſſimae actio hic plane ſiſtitur. 2.) Grauiſſima ſymptomata efficiuntur, vt apoplexia, ἀφωνία, ſopor, ſtertor, conuulſio, vomitus, ἀναιϑησία, deſipientia, ſpaſmus, obtenebricatio oculorum, quae omnia in vulneribus capitis plerumque funeſta ſunt ſigna. 3.) Non poteſt ſuppuratio

fieri,

fieri, 4.) nec medicamenta ſufficientia applicari, vnde mors ſtatim, vel breui poſt, ſequitur.

Vulnera omnia cerebellum inſigniter laedentia vel et penitus deſtruentia eſſe lethalia, ratio docet, et experientia confirmat. Cerebellum enim primaria cauſa eſt motuum automaticorum, inuoluntariorum, et vitalium, mittit neruos ad cor, diaphragma, ventriculum, et inteſtina; de in cerebellum vulnerari non poteſt, niſi ſimul fiat inſignis laeſio cerebri ipſius, vaſorum maiorum, muſculorum etc. Ideo vix, ſalua vita, laedi poteſt. Experientia etiam hoc confirmauit, dum omnia animalia a vulneribus cerebelli, et ſpinalis medullae in principio, illico moriuntur. *Die Jaeger nennen es den Nick Fang.* PERRAVLT, *Mechanique des amiaux, P. I. C. 7 p. 403.* et VIEVSSENS, in ſua *νευρογραφία*, it. et BOHN. *l. c. cap de Vulneribus capitis*, hoc experimentis tentarunt, nimirum aperuerunt capita animalium, ſic diſſecto et exemto cerebello, illaeſo cerebro, et ſpinali medulla, ſtatim omnia animalia extincta fuerunt.

Ex his iam dictis ſimul et ſequitur, omnes quoque medullae oblongatae laeſiones inſignes mortem certo effectu producere, nam tota cerebelli ſubſtantia medullaris collecta abit in medullam oblongatam, ex qua poſtea nerui prodeunt.

Vulnera, intra naſum, et oculorum angulum maiorem per cranium in cerebrum penetrantia, lethalia ſunt abſolute. Laeditur enim tota baſis cerebri, et cerebelli, laeduntur vaſa ſanguifera, colligitur ſanguis in baſi caluariae, qui terebra educi nequit, vulneratur origo neruorum, hincque in momento obmuteſcunt laeſi, ſenſum et motum amittunt, redduntur apoplectici, et, cum ſtertore, breui poſt extinguuntur. Vid. Fr. RVYSCHII *Obſeru. Anatom. Chirurg. Centur. Obſeru. 54.*

Grauiores capitis contuſiones, et vehementes cerebri commotiones, a quibus, illaeſo etiam cranio, et dura matre,

tre, vel vaſa ſanguifera piae matris, plexus choroidaei, cerebri rumpuntur, tubuli cerebri, et ſurculi neruorum radicales contorquentur, comprimuntur, vel praeternaturaliter laxantur, aut protenduntur, mortalia fiunt, et fieri poſſunt. Nam ἀφωνία ita producitur, teſte HIPPOCRATE, *Sect. 7. aph. n. 58.* item ſurditas, ſopor grauis, apoplexia, et mors ipſa, iuxta eundem HIPPOCRATEM, *L. 5. Epidem. n. 59.* Hoc aſſertum etiam confirmatur obſeruatione HEINRICI ab HEHR, *obſeru. n. 12.* Singularis, et ad hancce theſin pertinens obſeruatio reperitur in Dn. MANGOLDT. *diſſ. cit.* Nempe ciuis Lubecenſis in oſſe frontis ad ſiniſtrum latus probe ſuturam coronalem vrceo, cereuiſia pleno, contuſim laeditur, aeger ſequentibus diebus, neglecto vulnere, ambulabat, in conuiuio hilariter compotabat, aſt nono, aut decimo, die poſt ſubito in apoplexiam, et conuulſiones incidebat, die 12. autem moriebatur. Medicus, et duo Chirurgi in praeſentia Magiſtratus cranium aperiebant (nam externe nihil notatu dignum reperiebant) in cranio neque fracturam, neque fiſſuram, multo minus ſanguinem coagulatum in regione contuſa inueniebant, ſed aliquot digitis transuerſis a loco laeſo contrafiſſuram in interiori lamina cranii reperiebant, inſtar parui ſemicirculi, *wie ein halber Marien-Groſchen.* Remota pia et dura matre cortex cerebri in ſiniſtro latere magna copia purulentae materiae oppletus conſpiciebatur, quae materia, cerebri medullam, vsque ad baſin, vltra os petroſum, corruperat. Teſtantur itaque, materiam purulentam arte medica tolli non potuiſſe, ſed aegrum grauitati ſymptomatum ex neceſſitate ſuccubuiſſe. An vero percuſſio, huius materiae purulentae cauſa fuerit, nec ne, vel an aeger potius, ante contuſionem, diſpoſitus fuerit ad talem cerebri ſuppurationem, ex ſanguinis grumeſcentia ſpontanea fere natam, determinare noluerunt.

Vulnera principio medullae ſpinalis inflicta nec non alia vulnera profunda, ſpinali medullae inflicta, abſolute ſunt

lethalia. Nam 1.) ex medulla hac ſpinali omnia capiti ſubiecta membra et plurima viſcera quoad maximam partem ſuos neruos accipiunt, omnis ergo actio et cerebri et cerebelli in has partes tollitur. 2.) Simul vaſa ſanguifera magna ibidem haerentia laedi poſſunt, vnde effuſus ſanguis facile in cranii cauum readſcendere poteſt. 3.) Ea obſeruantur ſymptomata, quae in vulneribus cerebri et cerebelli profundioribus adeſſe ſolent. Sequitur enim paraplegia, paralyſis in organis inferioribus. Motus etiam ſpirituum ad cor, pulmones, muſculos intercoſtales, et diaphragma turbatur, vel plane tollitur, ideoque vulneratus mox vel ſuffocatus, vel conuulſus, moritur. Ex hac ratione vulnus, cultro intra quartam et 5. colli vertebram inflictum, ſeptimo die aegro moriente, pro lethali habuit F. Lipſ. teſte WELSCHIO, in *ratiocin. vuln. lethal. c. 3.* Sic iuuenis, apud TVLPIVM, *L. III obſ. C. 27.* pugione in ſpinali medulla vulneratus, praeuia alui, et veſicae obſtructione, et abdominis intumeſcentia, tertio die lipothymicus mortuus eſt. Simile quid dicendum de luxationibus et fracturis vertebrarum, vel colli, vel thoracis, vel lumborum, quae laeſiones, quando ſpinalis medulla inſimul laeditur, comprimitur, vel diſrumpitur, abſolute lethales eſſe ſolent. Statim enim ſequitur paralyſis, et breui poſt ipſa mors. Vid. MAVCHARTI *Diſſ. de Luxat. Nuchae. Rintel. 1747.*

Aſt non tantum enormia vulnera ſpinalis medullae ſunt lethalia, ſed et fortes contuſiones, imo exiguae puncturae mortem inferre poſſunt, ob ſymptomatum vehementiam, ſpasmos nempe, et conuulſiones, it. et gangraenoſas inflammationes. Conf. BOHN. *de vuln. lethal. p. 116.*

Quod de vulneribus cerebri, cerebelli, et ſpinalis medullae dictum fuit, id etiam, ſuo modo, ad neruorum vulnera applicari debet, et poteſt. Hinc laeſiones illorum truncorum neruoſorum, qui organis vitalibus miniſterium, motus, et ſenſus praeſtant, imprimis octaui paris, plerumque

ſunt

ſunt lethales. Nam nerui hi vulnerati, imprimis plane diſſecti, laedunt ſtatim reſpirationem, pulſum cordis, ventriculi et inteſtinorum actiones. Hinc ſequuntur ſpasmi in pectore et abdomine, vomitus item et ſpaſmi organorum generationis. Et quamuis trunci hi neruoſi, mox ab exortu ſuo vulnerati, per colli latera decurrentes, topica medicamenta admittant; haec tamen non ſufficiunt ad ſpaſmos, aliosque effectus funeſtos tollendos. Eſt quidem alias in vulneribus neruorum vltimum remedium nerui abſciſſio: Aſt talis in eiusmodi caſu, vulnerato nempe ramo maiori, non inſtituenda. Alias perit ſtatim omnis ſenſus et motus in organis vitalibus, cordis nempe et reſpirationis. Et porro eiusmodi abſciſſio fieri exinde non poteſt, quoniam nerui plerumque profundius paulo latitant, imprimis circa vaſa maiora. Patet hinc quod vulnera quae neruos ita dictos cardiacos diſſecant ſemper ſint abſolute lethalia. Lectu dignisſima ſunt ea quae de horum neruorum vulneribus litteris mandauit Perill. VAN SWITEN in Commentar. §. 170.

Vulnera neruoſorum plexuum, imprimis profundiora, ex varia ratione lethalia euadunt. 1.) enim remedia commode applicari non poſſunt. 2.) turbantur actiones viſcerum vitalium, et quidem notabiliter, et 3.) excitantur ab eiusmodi vulneribus dolores intolerabiles, ſpaſmi, conuulſiones, febres deliria, quae omnium ſunt periculoſiſſima ſymptomata.

Quid vero de neruorum caudicibus, ſummitati humeri, et femori implantatis, eorumque vulneribus ſentiendum ſit, Medici, etiam oculatiſſimi, determinare noluerunt. Noſtro vero iudicio eiusmodi vulnera vtique vel ad lethalia, vel ad periculoſiſſima pertinent. Nam 1.) ob ſitum topica ſeu externa remedia vix applicari poſſunt. 2.) Inciſione remediis via parari haud poteſt, ob viciniam vaſorum ſanguiferorum, quae ita facile laeduntur. 3.) Nec amputatione membri, nec amputatione nerui, tuta hic ſuſcipitur cura.

2. *Qu. Quid sentiendum sit de vulneribus colli?*

Missis vulneribus capitis, vulnera colli examinanda veniunt. Quatuor autem, praeter spinalem medullam, repeciuntur in collo partium genera, quarum vulnera frequentius funesta et lethalia esse solent, nempe vasa sanguifera, nerui, aspera arteria, vel trachaea, et oesophagus. Et quoniam hae partes arctius paulo inter se vnitae existunt, ideo rarissime solitarie vulnerantur, sed plerumque coniunctim. Hinc et lethalitas per concursum plurium laesionum maxime augetur.

Vulnera arteriarum carotidum, et ceruicalium, venarum item iugularium internarum, et ceruicalium, propter haemorrhagiam enormem, lethalia euadunt. Nam 1.) sunt vasa maiora. 2.) Medicamenta hic applicari non possunt, v. g. styptica ex pharmaceuticis, nec ligaturae, et compressiones ex chirurgicis, ob metum suffocationis. Nec cauteria locum inueniunt. Et quamuis haec applicata sint interdum in tali casu, et vulnere colli (vid. BOHN. *de Vuln. lethal. p. 120.*) tamen, eschara paulo post recedente, non solum haemorrhagia recruduit, sed et post mortem in musculis a sanguine effuso notabilis corruptio obseruata fuit.

De *vulneribus venarum iugularium externarum* aliter sentiendum. Nam haec remedia, iam laudata, admittunt, nempe styptica, compressiones, et in casu vehementiori ipsa cauteria, et apud veteres more recepta erat harum venarum sectio. Cuius rei veritatem, certitudinem et vsum propria experientia confirmarunt MARCVS AVREL. SEVERIN. *Lib. de Medicina efficaci*, in specie HORNIVS, in *μικροτέχνη*, RIVERIVS, in *Praxi, L. 1. c. 2.* BOTALDVS, in *Methodo incidendi venam.* BLANCARD. in *Collect. Med. Phys. obs. 65.* Et veteres quoque ἀρτηριοτομίαν arteriarum carotidum externarum susceperunt, quam-

quamuis non ſemper felici cum ſucceſſu. Hinc concludendum, quod vulnera venarum iugularium externarum, imo et arteriarum externarum carotidum, imprimis minorum ramorum, certis ſub conditionibus non ſemper lethalia ſint dicenda. Vid. ALBERTI *Iurisp. Med. p. 445.*

Vulnera asperae arteriae, ſeu fiſtulae aëriae, diuerſimode contingunt, et contingere poſſunt, et quidem 1.) ſiunt externae inciſiones, vel longitudinales, vel transuerſales, vel cum ſubſtantiae imminutione, ad inſtar ſemilunulae, quae, quando non ſunt enormes, coaleſcere poſſunt, teſte experientia, et imprimis notiſſima operatione chirurgica, quae *βρονχοτομία* dicitur. Interim poſt coalitum eiusmodi vulneris remanet ſemper raucedo. Quando vero 2.) aſpera arteria plane abſcinditur, adeo, vt pars abſciſſa, vi muſculorum, deorſum moueatur, tunc plerumque tale vulnus lethale eſt. Nam 1.) extremitates abſciſſae vix ac ne vix quidem coniungi poſſunt, neque per medicamenta, neque per ſuturas Chirurgorum. Ideo reſpiratio laeditur, inflammationes grauiores oriuntur, vel etiam, propter excreſcentiam carnis, ſuffocatio fieri debet. 2) Facile ſimul diſſecari poſſunt venae ac arteriae maiores, nerui paris vagi et intercoſtalis. Valet hinc ſemper haec regula generalis. *Vulnera asperae arteriae, quae ita ſunt comparata, vt via maneat parula aëri in pulmonem non ſunt per ſe lethalia.*

Contuſiones ipſae et percuſſiones circa laryngem, cartilaginem thyroidaeam, cricoidaeam et arytenoidaeas, mortem inferre poſſunt, imprimis, quando, per violentiam illam, earum connexio ita turbatur, vt, ſibi propius adactae, ſeu arctius conniuentes, glottidem, eiusque rimulam claudant, ſicque et inſpiratio, et reſpiratio prohibeatur. Cum vero illis diducendis haud ſuppetant remedia, excepta *βρονχοτομία*, ideo communiſſime mors ſequitur, propter ſubſequentem inflammationem anginoſam.

Trachaea, ſub claviculis, et in thorace recondita, *vul-*

nerata mortem post se trahit certissime. Nam 1.) respiratio totaliter laeditur, aër pulmones amplius non intrat, sed potius cauitatem thoracis, vnde pulmones comprimuntur, et non possunt distendi, vti fieri debet in respiratione legitima, et sic breui post sequitur suffocatio. 2.) In eiusmodi vulnere nulla adsunt, vel applicari possunt medicamenta, quae coniunctionem labiorum vulnerum, et sic consolidationem praestare valeant, ideo necessario moriuntur hac ratione vulnerati.

Vulnera oesophagi cum alia sint maiora, alia minora, alia longitudinaliter, alia transversaliter inflicta, alia oesophagum penetrent, intra collum constitutum, alia vero oesophagum, in thorace absconditum, alia plenariam oesophagi, alia vero partialem tantum eius abscissionem sistant, ideo diversa de illis iudicia ferenda. Vulnera proinde exigua, et imprimis summitati oesophagi, in collo constituti, illata, non dici possunt absolute lethalia. Nam 1.) propter exiguitatem, tale vulnus neque lethalem inflammationem, neque dolorem vehementem efficit. 2.) Per vulnus hoc elabentia alimenta, talia spatia non intrant, in quibus nocere, et putrescere possunt. 3.) Per suturam non cruentam etiam iungi possunt. Hancce de vulneribus oesophagi theoriam BOHN. confirmat obseruationibus, *p. 522.* Alia vero res est, quando oesophagus, in thorace delitescens, vulneratur. Tale enim vulnus absolute lethale dicendum. Nam 1.) alimenta intrant cauitatem thoracis, ibique putrescunt, et inflammationem gangraenosam efficiunt. 2.) Medicamenta conuenientia ibi applicari haud possunt. Vulnera transuersalia oesophagi periculosiora sunt, quam longitudinaria. Nam tunica musculosa oesophagi interior ex transuersalibus, vel spiralibus potius, composita est fibris, vnde hae fibrae, a se inuicem separatae, magis recedunt, et difficillime coniunguntur. De gula, *plane abscissa*, nihil dicam, cum per se clarum sit, quod tale vulnus sit incurabile, et per consequens letha-

le.

le. Neque enim ſutura cruenta hic locum inuenire poteſt. Vid. Perill. VAN SWITEN *l. c.* §. *170.*

3. *Qu. Quid de vulneribus thoracis ſit ſtatuendum?*

In thorace varia exiſtunt organa, quorum vulnera certo reſpectu lethalia eſſe ſolent, nempe ſpina dorſi, coſtae, ſternum muſculi thoracis, et intercoſtales, pleura, mediaſtinum, cor, cum ſuis vaſculis, et pericardio, thymo, arteria magna, arteriae, et venae mammariae, arteriae et venae intercoſtales, vena ἄζυγος, pulmones, cum ſuis vaſculis, ductus thoracicus, diaphragma, nerui intercoſtales, phrenici, et octaui paris.

Vulnera muſculorum thoracis, quando ad cauitatem thoracis non penetrant, non ſunt lethalia. Quando vero cum aliquali latitudine, vsque ad pleuram penetrant, tunc interdum fieri poſſunt lethalia. Nam ſuccedit inflammatio pleurae, vel pleuritis, quae, mutata in empyema, vel in peripneumoniam, mortem inferre ſolet.

Vulnera exigua, ad cauitatem thoracis penetrantia, illaeſis modo organis vitalibus, in thorace contentis, non ſunt lethalia. Nam neque organa, ad vitam neceſſaria, laeſa ſunt, neque ſymptomata lethalia exinde fluunt. Quando vero eiusmodi vulnera ſunt lata, adeo, vt aër externus maiori in copia, et notabili impetu cauitatem thoracis intrare valeat, tunc pulmones comprimuntur, reſpiratio difficillima redditur, et plerumque homo breui poſt extinguitur. Et cum eiusmodi vulnus per ſuturam coniungi non poſſit, ideo lethale dicendum.

Hinc quoque *vulnera vtrumque thoracis cauum penetrantia* et aërem admittentia ſemper ſunt certo lethalia, ſi vulnerum orificia glottidis aperturam ſua amplitudine ſuperent, vti ſolide demonſtrauit van SWITEN l. c. §. 170.

Vulnera

Vulnera thoracis, cum fracturis costarum, lethalia fieri possunt. Sunt quidem ex Ictis GIVRBA, *Consil.* 17. et CÆPOLLA, *L. III. Consil.* 61. qui fracturas costarum non pro vulneribus lethalibus admittere volunt. Ast hi celeberrimi viri, seducti auctoritate HIPPOCRATIS, GALENI, et CELSI, tale quid statuunt, quod tamen vniuersaliter intelligi non debet. Nam costarum laesiones utique fieri possunt lethales. Lethales vero fiunt costarum laesiones, quando 1.) sunt fracturae plures, in minutas fibras solutae. 2.) Quando fragmenta intus latitant, quae per Chirurgum extrahi non possunt. Hinc enim oritur lethalis inflammatio, exulceratio, et empyema. 3.) In fracturis costarum interdum aer spatia musculorum intrat, sicque thorax intumescit, et respiratio enormiter laeditur. 4.) Costae fractae difficillime restituuntur, et per callositatem vniuntur. Nam costae sunt in perpetuo motu, et sic vnio vix locum inuenire potest. Porro depressae costae vix attolluntur, neque instrumentis, neque manibus. 5.) Et fortae restitutae costae, et iterum vnitae, in situ vix contineri possunt. Nam organa haec, vt iam dixi, sunt in perpetuo motu, et ex hac ratione consolidatio difficulter procedit. Concludendum itaque, quod fracturae costarum facillime fieri possint lethales, subsequente nempe inflammatione, suppuratione et empyemate.

Inter viscera thoracis primum locum occupat cor, cuius vulnera aut musculos cordis tantum, aut vasa coronaria, aut ventriculos, siue cauitates, laedunt. *Vulnera cordis*, quando ventriculum alterutrum, aut vtrumque penetrant, absolute, et statim sunt lethalia. Nam circulatio sanguinis ita in momento sistitur.

Vulnera, quae vasa coronaria cordis laedunt, quoque statim, vel breui post lethalia fiunt. Nam 1.) enormiter sanguis funditur. Hinc incidunt vulnerati in lipothymiam. 2.) Sanguis spatia aliena intrat, v. g. pericardium. Hinc, quando pericardium repletur a sanguine, sanguis ibi coagulatur,

cor

cor comprimitur, et ſic motus cordis ſiſtitur. 3.) Cum vaſa coronaria ſint motores cordis, qui motum diaſtolicum cordis praeſtant, ideo laeditur motus cordis, et ſic homo extinguitur.

Vulnera cordis, quae, intactis ventriculis, et vaſis coronariis, tantum ſubſtantiam muſculoſam, et quidem in minima quantitate, laedunt, tamen lethalia fiunt. Dubitarunt equidem Medici de lethalitate vulnerum cordis in ſuperficie ex hac ratione, quoniam cor ſit muſculus, vel machina muſculorum, vulnera vero muſculorum non ſint lethalia, ſed ita comparata, vt conſolidatio poſſit expectari. Aſt haec ratio in vulneribus cordis locum non inuenit. Nam 1.) cor eſt muſculus, in perpetuo motu conſtitutus. Ergo quemadmodum vulnera reliquorum organorum, quorum motus perpetuus eſt, difficillime conſolidantur; ſic etiam cordis. 2.) Singulis pulſibus notabilis quantitas ſanguinis ex vulneribus cordis exſtillare debet, et ideo ſucceſſiue oritur lethalis haemorrhagia Vulnerabatur hic Studioſus Nobilis. In cordis ſuperficie laeſio erat exigua, et ſane vix notabilis, ſed ſpatio trium horarum incidebat Studioſus ex improuiſo in animi deliquium, et ſtatim viteta ceſſabat. 3.) Cum vulnerum ſymptomata immediata ſint inflammationes, ideo tale ſymptoma in corde lethalitatem quoque praeſtare poteſt. 4.) Remedia non poſſunt applicari. 5) Cor non laedi poteſt, niſi cum vulnere pericardii. Cum itaque vulnera pericardii lethalia ſint, multo magis vulnera cordis minima, et ſuperficiaria, cum vulnere pericardii coniuncta, lethalia ſunt dicenda.

Porro in tota ſuperficie cordis plura filamenta ſunt neruoſa, ergo fieri aliter non poteſt, quam quod eueniat conuulſio. Per conuulſionem autem oritur ingens turbatio motuum cordis, et vita ſalua ita perſiſtere non poteſt. Porro per vulnerationem neruorum cordis nerui a ſe inuicem ſeparantur, et ita oritur paralyſis in certo muſculo. Per eius-

modi paralyſin vero turbatur circulatio ſanguinis cordis, et per conſequens vita turbatur. Haec ſunt argumenta, quae ad oculum oſtendunt abſolutam vulnerum cordis lethalitatem, quam et ipſe OVIDIVS, *lib. 1. de Pont. eleg. 3. v. 21.* agnouit, vbi inquit:

Afferat ipſe licet cunctas Epidaurius herbas;
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Quae prolata ſunt de vulneribus cordis, argumenta, applicari debent ad vulnera auricularum, quae etiam omnia ſunt lethalia dicenda.

De vulneribus pericardii Autores non conueniunt. Alii enim omnia vulnera pericardii abſolute lethalia pronunciant, alii vero ſub conditionibus vulnerum pericardii lethalitatem admittunt. Quicquid tamen ſit, vulnera pericardii certiſſime mortem inducunt. 1.) enim pericardium eſt membrana tendinoſo-neruoſa. E. ſpaſmis et conuulſionibus vulnera pericardii concomitantur. 2.) Quando pericardium vulneratur, lympha pericardii effluit, cuius praeſentia tamen ad motum cordis facilitandum abſolute neceſſaria eſt. 3.) Quoniam pericardium in ſuperiori parte cum vaſis ſanguiferis, arteria magna pulmonali, vena caua, et pulmonali cohaeret hinc oritur obtruncos vaſorum ſanguiferorum ſauciatos haemorrhagia lethalis; a parte inferiori vero cum tendinoſa diaphragmatis parte iungitur, ideo diaphragma conuellitur, et ab inflammatione pericardii etiam paraphrenitis, ſeu inflammatio diaphragmatis, lethalis oritur. 4.) Neque pericardium, neque cor vix vulneratur, quin et ſimul aliae partes vicinae vulnerentur. Hinc, ex complicatione et multitudine vulnerum, lethalitas per ſe ſequitur.

(*) *Ita b. Autor de lethalitate vulnerum cordis atque pericardii iudicat. Hodie vero multi Medicorum longe aliam de lethalitate vulnerum harum dictarum partium fouent opinionem, nimirum ſtatuunt 1.) omnia vulnera cordis eſſe quidem periculoſiſſima, tamen non ſemper ſubito nec certo lethalia*

lethalia. Argumenta pro asserti huius veritate militantia neruose proponit laud. van SWITEN *l. c.* 2.) *non omnia pericardii vulnera esse lethalia, sed haec differre, prouti variis pericardii locis infliguntur. Quodsi enim vulnera cordis non sunt omnia lethalia; ita nec omnia pericardii vulnera lethalia esse possunt.*

Quae de vulneribus cordis dicta sunt, etiam applicari debent ad *vulnera* vasorum cordis communium, *arteriae* nempe *magnae*, *arteriae pulmonalis*, *venae cauae*, *et venae pulmonalis*. Horum enim vasorum vulnera absolute lethalia fiunt, et icti statim concidunt. Nam circulatio sanguinis in momento sistitur, sanguis ad cauum thoracis effunditur, et sic homo in momento suffocatur. Sunt quidem malitiosi Medici et ICti, qui eiusmodi vulnera, vt per accidens lethalia, defendere volunt, cum debili tamen argumentorum suppellectile. Dicunt enim 1.) Vasa sanguifera non esse principalia, quod tamen absolute falsum est. Vasa enim sunt canaliculi, in quibus circulatio absoluitur. Ergo sunt organa, ad vitam absolute necessaria. 2.) Dicunt, non omnem sanguinis profusionem esse lethalem, et hoc argumentum in tantum concedendum, ast hic non applicandum. Nam vasa, in externis partibus laesa, comprimuntur, et sic haemorrhagia sistitur; ast talis compressio vasorum in partibus internis nunquam fieri potest. 3.) Dicunt, sanguinem e cauitate thoracis educi posse. Ast hoc non de omni quantitate, sed tantum de exigua intelligendum. 4.) Venarum, et arteriarum vulnera coalescere posse affirmant. Ast haec regula etiam tantum valet in vulneribus vasorum manuum, atque pedum, nunquam vero applicari potest ad vulnera vasorum in partibus intrinsecis, siue ad vulnera capitis, thoracis, et abdominis.

Ob similem, supra allegatam, rationem haemorrhagiae, ex venis et arteriis subclauiis, mammariisque vulneratis, item vena ἀζύγῳ, dependentes, mortem citissime acce-

lerant. Nam ſanguis impetuoſe profunditur, cauitas thoracis ab eo repletur, circulatio ſiſtitur, et vulneratus ſuffocatur. In eiusmodi vulnere quoque medicamenta applicari haud poſſunt, haemorrhagiam ſubito ſiſtentia. *De Hæmorrhagiis vulnerum* legi meretur ICti Excell. SCHOEPFFERI Diſſ. *Roſtoch.* habita de *Hæmorrhagia Vulneratorum*, *von Verblutung der Verwundeten.*

Vulnera et dilacerationes *vaſorum intercoſtalium, mediaſtini et ſterni*, in ſuperficie huius organi interna, etiam lethalitatem praeſtant. Nam 1.) remedia neceſſaria hic non poſſunt applicari. 2.) Sanguis ſtillat ad cauitatem thoracis. Hinc motus cordis, pulmonum, et diaphragmatis impeditur. Et quamuis, per paracenteſin, ſanguis educi poſſit; tamen rariſſime effectus ſperatus ſuccedit. Nam dum vaſa eiusmodi vulnerata ſanguinem perpetuo fundunt, hocce vero ſtillicidium remediis ſiſti non poteſt, ideo vita quidem interdum ad aliquot dies prorogatur, plerumque tamen 5. vel 7. die fatis cedunt laeſi. Sanguis enim ſucceſſiue deficere incipit. Hancce noſtram ſententiam de vulneribus vaſorum intercoſtalium confirmat BOHN. *l. c. p. 32.* propria ſua obſeruatione.

Pulmonum vulnera non quidem ſemper lethalia deprehenduntur, id quod quotidiana docet experientia *vid.* HILDAN. *Obſeru. Centur. 2. Obſeru. 32. Centur. 1. Obſ. 46.* tamen omnia dici poſſunt periculoſa, imo periculoſiſſima, quod ex ſequentibus patebit. Non vero ſunt lethalia dicenda illa, quae in extremitatibus pulmonum fiunt. Nam 1.) haemorrhagia enormis non contingit. Vaſa enim ibi ſunt exigua. 2.) Sanguis ille, qui, in minima et tolerabili quantitate, ex eiusmodi vulnere ad cauitatem pectoris exſtillat, vel per vulnus dilatatum, vel per paracenteſin, in inferiori thoracis parte inſtitutam, educi poteſt. 3.) Vulnus ex collapſo pulmone paruaque ac tenui reſpiratione ſeruatur clauſum atque ipſa pulmonum ſubſtantia ſenſus exquiſiti expers facite haud inflammatione.

Mori-

Moriuntur vero homines ex vulneribus thoracis et pulmonum 1.) quando vaſa pulmonum maiora vulnerantur, et hoc fit propter enormem haemorrhagiam, quae nullo remedio ſiſti poteſt. 2.) Quando ſanguis ex cauitate thoracis non effluit, ſiue per dilatationem vulneris, ſiue per ſuctionem, ore, aut inſtrumentis inſtitutam, ſiue per paracenteſin. Ideo ſanguis, in cauitate thoracis exiſtens, putreſcit, putrescensque inflammationem gangraenoſam et necroſin inſtituit. 3.) Quando rami maiores aſperae arteriae ſimul vulnerantur. Ita enim aër intrat cauitatem thoracis, pulmones ab eo comprimuntur, et reſpiratio ſufflaminatur. Aſt quoniam bronchia, ſiue ramificationes aſperae arteriae, vndique a vaſis ſanguiferis pulmonum cinguntur, ideo vix aſperae arteriae rami maiores laeduntur ſine laeſione maiorum vaſorum ſanguiferorum, et tunc, ex duplici ratione, tale vulnus lethale euadit. 4.) Moriuntur eiusmodi vulnerati ex inflammatione pleuritica, et peripneumonica. Quando enim inflammatio coniungitur, et materia purulenta in ſuppuratione non per tuſſim euacuatur, fatis cedunt plerumque ſeptimo die. Et quoniam inflammatio, et ſuppuratio, effectus vulneris eſt, ideo cautus ſit Medicus in ſua renunciatione. Et quamuis eiusmodi vulnerati reſtituantur; tamen per totam vitam miſerabiles eſſe ſolent, et valetudinarii manent. Oritur enim plerumque conſtans diſpnoea et tandem phthiſis, ex coalitu pleurae irregulari, et pulmonum.

Ductus thoracicus organon ad vitam abſolute neceſſarium eſt. Hinc eius *vulnera* per ſe, et ſimpliciter lethalia dicenda, id quod et valet de receptaculo chyli lumbari. Nam 1.) motus chyli ad ſanguinem intercipitur, et ita partes alibiles ad ſanguinem non deferuntur. Ceſſant ergo omnes effectus qui a chylo ſanguine miſto pendent, ſanguis nempe et omnia fluida, item et ſolida ipſa, amplius non nutriuntur. Hinc, ex tali laeſione, vel repentina mors oritur, vel incurabilis hectica acceleratur. 2.) Chylus intrat ſpatia aliena,

 vel

vel cauitatem abdominis, vel thoracis, ibique corrumpitur, putrescit, et lethales inflammationes praestat, aut hydropem. 3.) vix potest laedi alueus chylosus quin et aliae vulnerentur partes, a quibus laesis mors consequitur.

Vulnera diaphragmatis probe distinguenda sunt. Alia enim partem musculosam, alia vero neruosam, seu tendinosam, penetrant. Vulnera, parti tendinosae diaphragmatis inflicta, per se lethalia pronunciantur. Nam 1.) Medicamenta non possunt applicari. 2.) Spasmodicae oriuntur contractiones, quae ipsam respirationem turbant, et enormiter laedunt, ac, subsequente inflammatione, lethale oritur delirium paraphreniticum. 3.) Consolidatio non expectanda, partim ob motum constantem huius organi, partim quoniam hoc vulnus tendinum est. Tendines enim, ob soliditatem substantiae, difficillime reuniuntur. 4.) partes abdominis cauo contentae vulnus diaphragmatis ingrediuntur, illud dilatant, in cauum thoracis transeunt, pulmones comprimunt, cordis actionem sistunt.

Vulnera vero, quae partem musculosam laedunt, imprimis in vicinia costarum, et insuper exigua sunt, periculosa tantum dicenda. Nam curam, quamuis difficillime, admittunt, hincque non absolute lethalia dicenda. Experientia enim 1.) confirmat, quod tale vulnus sit consolidatum vid. HOLLERIVS in *Comment. in Aphoris. 18. Sect. 6. p. 344.* 2.) In eiusmodi vulnere medicamenta, extus applicata, ad vulnus ipsum successiue deferuntur. Quando vero vulnera talia maiora existunt, mortifera fiunt 1.) ob respirationem enormiter turbatam. 2.) Ob inflammationem subsequentem enormem. 3.) Oriuntur spasmi lethales, item et vomitus. 4.) Materia purulenta spatia aliena intrat, nec commode educi potest. Et 5.) quando vulnera talia diaphragmatis non in momento fiunt lethalia, tamen laesi moriuntur breui post. 6) quia vt obseruarunt Medici, v. g. PARAEVS, SENNERTVS, vulnera talia diaphragmatis interdum replentur a ventriculi, intestino-

testinorum, omenti, etc. notabili portione, quae partes ibi interdum plane cum diaphragmate coalescere incipiunt. Ast quoniam oritur situs et positus viscerum irregularis, ideo actio viscerum quoque turbatur, et plerumque post aliquot septimanarum, vel mensium, spatia laesi moriuntur, vid. VAN SWITEN l. c. §. 170. *Contusiones* fortes *thoracis* fieri possunt lethales, ob contusionem diaphragmatis, imprimis, si fiunt circa scrobiculum cordis. Hae subito et in momento motum diaphragmatis, ad respirationem et vitam absolute necessarium tollunt, sublatam autem respirationem sequitur suffocatio. Lethalium concussionem thoracis et diaphragmatis exempla extant apud BOHN. *l. c. p. 138.*

Tandem *vulnera neruorum intercostalium*, et paris vagi, ad cor, pulmones, et diaphragma tendentium, lethalia fiunt. Organa enim vitalia motore suo destituuntur.

4. *Qu. Quid sit statuendum de vulneribus abdominis?*

Viscera, in abdomine contenta, quoque ad vitam continuandam necessaria sunt. Hinc eorum vulnera quoque lethalia fieri possunt, multis et infinitis modis. Ad viscera abdominis vero pertinent ventriculus, intestina, hepar, cum vesicula fellea, lien, pancreas Virsungi, et Aselli, mesenterium, omentum, vasa abdominis sanguifera, neruosa, lactea, renes, capsulae atrabilariae, vesica vrinaria, vreteres, vasa spermatica in sexu nobiliori, et in sequiori sexu vterus.

Vulnera ventriculi ab omnibus fere Medicis, tum antiquis, tum recentioribus, absolute lethalia pronunciantur, quoniam fere omnes illis moriuntur, et rarissime, vel nunquam, sanantur. Interim tamen dantur nonnulli, qui non omnia vulnera ventriculi lethalia esse, statuunt, si nempe aditus detur manibus chirurgi, vt sutura possint vniri. Assertionem vero probare volunt per exempla cultriuorum,

tum

tum Prussici, de qua Historia Becherus peculiarem edidit tractatum. Item Hallensis quidam anno 1691. die 3. Jan. cultrum deglutiuit, die 2do Augusti autem ej. anni iterum, cum vlcere abdominis, exiuit culter deglutitus. Vid. Acta Erudit. Lips. anno 1692. mens. Decembr. Et sic quoque adhuc multa alia vulnerum ventriculi integre sanatorum exempla apud Autores occurrunt. *Vid.* SCHENCKII *Obseru Med. rarior. p.348.* ACT. ANGLICAN. N. 420. FABRITII Diss. *de Lethalitate Vulnerum Ventriculi* Helmstad. 1751. Praeterea vero simul est annotandum quod ista ventriculi vulnera, quae absolute sunt lethalia duplicis sint generis: alia mortem citam inducunt, nimirum ista, quae substantiam ventriculi, inprimis vasa, laedunt, alia vero mortem lentam inferunt, nempe ista, quae ita sunt comparata, vt contenta ventriculi per vulnus veniant vel extra corpus, vel ad abdominis cauum.

Vulnera orificiorum ventriculi semper lethalia esse solent, imprimis vero vulnera orificii sinistri. Nam 1.) deglutitio impeditur. Est enim orificium superius continuatio, vel finis potius, oesophagi. Hinc in vulnere huius orificii alimenta non ad cauitatem ventriculi deportantur, sed potius ad cauitatem abdominis, vbi postea putrescunt. 2.) Circa illud orificium par notabile neruorum existit, qui nerui in eiusmodi vulnere necessario insimul laeduntur. Hinc lethalis oritur spasmus, vomitus, cardialgia, aliaque pessima symptomata. 3.) Circa orificium hocce vasa adsunt sanguifera copiosiora, coronaria nempe, quae vulnerata haemorrhagiam praestant lethalem. 4.) Ibi ventriculus coniungitur cum diaphragmate. Ergo phrenitis, conuulsiones, singultus, respirationes difficiles, nullo remedio curabiles, producuntur.

Nec minus vulnera orificii sinistri, vel pylori, sunt lethalia dicenda. Nam in motu ventriculi peristaltico, qui constans et perpetuus est, chymus exprimitur ad cauitatem abdominis, nec defertur ad intestinum duodenum. Ergo immi-

imminuitur chylificatio, nutritio, et putrefcentia infimul oritur in abdomine.

Vulnera ventriculi, in fundo, eiusque parte inferiore exiftentia, imprimis, fi latiora funt, etiam mittunt alimenta ad cauitatem abdominis. Ergo funt lethalia. In fummitate vero, fi exigua funt, interdum, quamuis rariffime, fanantur. Vid. CORN. CELS. *de medicin. libr. V, cap. 26. p. 302.*

Quando vero extra ordinem vulnera ventriculi confolidantur, tunc hoc fieri folet ex quadruplici caufa extraordinaria occafionali. V. g. 1.) Hoc fieri poteft, quando vulnera funt minora, et quando per corrugationem ventriculi naturalem conftringuntur, et clauduntur. 2.) Quando labia vulnerum ventriculi aut cum peritonaeo, aut diaphragmate, aut mufculis abdominis, coniunguntur et conglutinantur, quale quid factum fuit in ruftico quodam, apud SCHENCK. *in Obferu.* qui per vulnus epigaftrii fatis diu alimenta effufit, tandem vero integrae fanitati reftitutus fuit. 3.) Quando portiuncula omenti vulnus tale ventriculi obftruit, et poftea cum ventriculo coalefcit. 4.) Quando labia vulnerum ventriculi cum abdominis integumentis per futuram chirurgicam iungi poffunt. Cuius operationis poffibilitatem confirmat SCHENCKIVS, in *Obferuat.* Tit. *de Vulneribus Ventriculi.*

Inteftinorum vulnera an omnia fint abfolute lethalia dicenda, difputant Medici, tum veteres, tum recentiores. *vid.* FRANC. MERY *Difp. An inteftinorum tenuium vulnus lethale. Paris. 1742.* ABR. VATERI *Diff. de Vulnerum in inteftinis lethalitate. Vitemb. 1720.* Diftinguntur vero vulnera inteftinorum. 1.) In fuperficiaria, et penetrantia. 2.) In magna, et parua. 3.) In longitudinalia, et transuerfalia. 4.) In vulnera inteftinorum tenuium, et crafforum. Hinc fuperficiaria, parua, recta, vel longitudinalia, ac crafforum inteftinorum, periculofa quidem, fed non fimpliciter lethalia a nonnullis ftatuuntur. Penetrantia vero, et maiora, transuerfalia, ac tenuium, per fe lethalia pronunciantur.

Atmitti quidem possunt hae distinctiones in tantum, nunquam vero in totum. Moriuntur enim vulnerati a vulnere intestinorum tam exiguo, vt acu punctum esse videatur, propter inflammationem subsequentem, quale exemplum mihi notum est. Concludendum igitur, cum BOHNIO, in *Tr. de Vuln. lethal. p. 145.* et ipso HIPPOCRATE, in *Coacis*, vulnera quaecunque intestinorum, imprimis maiora, et grauioribus symptomatibus iuncta, per se lethalia esse dicenda. Nam 1.) omnia intestina, partim a flatibus et fecibus, partim chymosa substantia, perpetuo distenduntur, ac motu gaudent constanti peristaltico. Hinc vulnera eorum difficillime coniunguntur, et consolidantur. 2.) Communissime intestinorum vulneribus iungitur gangraenosa inflammatio. 3.) Chymus, flatus et feces ad abdominis cauitatem per hoc vulnus fluunt. 4) Nec sutura, nec alia remedia, v. g. iniectiones, sufficientia, et conuenientia satis, existunt.

Ex iam dictis ergo sequuntur haec corollaria: 1.) ista vulnera vbi intestinum tenue integre est discissum, ibi, vbi pyloro est satis vicinum, sunt certo lethalia; 2.) vulnera intestinorum crassorum, vti et tenuiorum in loco magis remoto a ventriculo, nec non illa quae non integre tubum intestinalem discindunt, periculosa quidem semper sunt, non tamen absolute lethalia. vid. laud. van SWITEN l. c. 3.) Vulnera intestinorum, quae ipsis circa mesenterium sunt inflicta, ita vt vasorum notabiles rami vel trunci sint discissi semper sunt lethalia.

Vulnera mesenterii per se lethalia esse non solent. Nam constat hoc ex tenuissimis tunicis, quae perfossae facile consolidantur. Quoniam vero vasa varia in mesenterio existunt, ideo, ex laesione horum vasorum, vulnera mesenterii fieri possunt lethalia. Ad vasa mesenterii vero pertinent 1.) Nerui plexus neruosi abdominis, qui, quando vulnerantur, notabiles dolores, anxietates, conuulsiones, singultus, vomitusque efficiunt. 2.) Vasa sanguifera mesenterica. Haec vulnera-

ta

ta lethalem, vel per ſe, vel per accidens, praeſtant haemorrhagiam. Nam vel ſanguis in maxima effluit copia, et ſic breui poſt circulatio, et vita ſiſtitur, vel ſanguis abdomen replet, et, dum putreſcit, inflammationem viſcerum abdominis praeſtat. 2.) Vaſa lactea. De hiſce vero nota, quod, quando vnum horum vaſorum vulneratur, tunc vulnus abſolute lethale non ſit dicendum. Nam 1.) Reliqui rami vaſorum lacteorum tantam chyli quantitatem adducunt, quanta requiritur ad nutritionem, et vitae continuationem. 2.) Chylus liquor eſt, non adeo diſpoſitus ad corruptionem, vt ſanguis, et reliqua liquida. Quando itaque chylus exſtillat in cauitatem abdominis, ibique colligitur, nullum alium morbum, quam hydropem, praeſtare poteſt.

Vulnera glandularum meſenterii, imprimis, quae centrum meſenterii glanduloſum penetrant, fiunt lethalia. Concurrunt enim in hoc centro omnia vaſa lactea. Ergo 1.) maxima debet fieri chyli profuſio. 2.) Glandulae meſenterii ſunt organa, quae chylum filtrant, eiusque fluiditatem, et diuiſionem promouent. Quando itaque hoc organon vulneratur, haec actio turbatur, et chylus crudus, ad nutritionem minus aptus, ad maſſam ſanguineam defertur. Hinc nutritio enormiter laeditur. 3.) Ibi ſunt copioſiſſima alia vaſa lymphatica, quae lympham, ex inferioribus aſcendentem, ad hunc locum deportant, quibus vulneratis oritur hydrops. 4.) Sunt etiam ibi vaſa copioſiſſima ſanguifera, et imprimis truncus arteriae meſeraicae ſuperior ibi exiſtit, quo laeſo oritur in momento lethalis haemorrhagia. 5.) Eſt in centro meſenterii plexus neruoſus, cuius laeſio vehementiſſima, et lethalia ſymptomata, dolores, inflammationes, anxietates, et conuulſiones praeſtat.

Vulnera vaſorum lacteorum ſecundi generis abſolute ſunt lethalia dicenda. Effunditur enim 1.) In momento omnis chylus et lympha, ibi in maxima copia exiſtens, a qua effuſione abdomen mox intumeſcit, et hydrops acceleratur, imo

nutritio laeditur notabiliter. 2.) Sunt ibi tendines diaphragmatis, qui neceſſario inſimul vulnerantur. Hinc oritur in momento reſpirationis maxima difficultas, paraphrenitis, et paulo poſt mors. 3.) Ibi truncus arteriae magnae deſcendens exiſtit, et vix receptaculum chyli vulneratur, ſine vulnere inſimul huius arteriae.

Pancreatis Virſungi vulnera inter non lethalia a BOHNIO referuntur, ex hac ratione, quoniam pancreas non ſit viſcus, in oeconomia animali abſolute neceſſarium, hincque vulnera, et aliae laeſiones huius viſceris, non turbent enormiter ſanitatem. Et ſi lethalitas ex vulneribus pancreatis ſequatur, illam potius iam laudatus autor laeſionibus vaſorum tribuere vult. Aſt an ratio haec decidendi ſufficiens ſit, iudicent alii. Ego ita iudico: Succus pancreaticus ad chyli elaborationem abſolute neceſſarius eſt. Hic vero in vulnerato pancreate neque elaboratur, neque ſecernitur, neque ad inteſtinum duodenum defertur. Ergo laeditur nutritio, ſanitas et vita. Dein etiam laedi poſſunt vaſa maiora per hanc glandulam diſperſa, vnde ſanguis in cauum abdominis effunditur.

Omnia omenti vulnera etiam non dici poſſunt lethalia abſolute, cum certum ſit, quod portio notabilis omenti, quando extra corpus pendet, ſalua manente vita, et ſanitate, poſſit exſcindi. Quodſi vero talia omenti vulnera coniuncta ſunt cum enormi laeſione vaſorum gaſtro epiploicorum, vel omentum ex vulnere abdominis propendens inter anguſta vulneris labia clauſum, ſtrangulatumque ſit, ipſum vero vulnus dilatari, reponendae portionis elapſae cauſa, nequeat, omnino lethalitatem abſolutam inferunt. vid. HEBENSTREIT l. c. p. m. 540.

Hepatis vulnera, diſtinguuntur in vulnera ſubſtantiae, et vaſorum. Priora per accidens lethalia, poſteriora vero per ſe lethalia pronunciantur. Aſt haec diſtinctio nullius eſt momenti, imo potius falſa. Hepar enim viſcus eſt, pure

vaſcu-

vasculosum, quemadmodum demonstrauit RVYSCHIVS, in *Epistolis anatomicis.* Hinc nulla pars hepatis, absque notabili sanguinis profusione atque haemorrhagia lethali, vulnerari potest. Id quod confirmat GLISSONIVS, in *Tract. de Hepate*, et quotidiana exempla hoc probant. In vulneribus enim hepatis statim sequitur haemorrhagia sanguinis obscuri, adsunt statim et vehementissima symptomata, anxietates, dolores, per totum corporis truncum extensi, apparent vomitus biliosi atque cruenti, item similes alui deiectiones, accedit aestus, sitis, lipothymia, et post breue tempus mors. Moriuntur enim ex haemorrhagia, et supra dictis symptomatibus, quae nullo remedio sisti possunt. Sequitur ergo, quod omnes laesiones hepatis dicendae sint lethales.

* *Hanc b. Auctoris de vulnerum hepatis lethalitate opinionem alii quoque Medici adhuc hodie defendunt. v. g.* BOERNER *in Instit. Medic. Legal. p. 224. 225. verum nos ipsi subscribere non possumus, sed statuimus potius cum aliis, vulnera hepatis semper esse vulnera periculosissima; tamen non semper certo lethalia; sed ista tantum lethalitatem absolutam afferre, quae essent magis profunda, id est, vbi insignes vasorum per hepar distributorum rami fuerint laesi.* Vid. HILDANI *Obseru. 34. Centur. II.* GLANDORP. *Spec Chirurg. Obseru. 34. p. 166.* AMMANNI *Medic. Critic. p. m. 289.* CELSVS *Lib. V cap. 26.* Id. KALTSCHMIDII *Diss. de Vulnere hepatis feliciter curato.* à BERGEN *Diss. de Lethalitate vulnerum hepatis.* SCHLICHTING *Traumatologia. Amstel. 1748. 4to.* Et Perill. van SWITEN *l. c.* §. *170.* ita, *Leuiora,* inquit, *tamen lienis vulnera aeque ac hepatis non semper absolute lethalia esse, quamvis semper periculosa, valde probabile est.* B. PLATNER *in Instit. Chir. §. 675.* ita scribit: *At, quibus iecinoris summa vel extrema pars leniter vulnerata est, ii conseruari possunt.* Item b. HEBENSTREIT *l. c. p. m. 541. superficialia,* inquit, *equidem iecinorum vulnera, si magna vis sanguinis in cauum abdominis haud effusa est, excusari possunt.*

Non

Non tantum autem vulnera ſubſtantiae hepatis ſunt lethalia, ſed et nonnulla vulnera, vaſorum, in hepate exiſtentium. Ad vaſa hepatis pertinent primo ſanguifera, et biliaria. Hinc *vulnera arteriae hepaticae*, *venae cauae*, *et portae*, in momento vulneratos interficiunt. Nam maxima fit haemorrhagia, et ex hac ratione illico moriuntur vulnerati.

Quid vero de *vulneribus vaſorum biliariorum* ſentiendum ſit, iam videbimus. Ad vaſa biliaria vero pertinent veſicula fellea, ductus hepatici, ductus cyſticus, et ductus choledochus. De lethalitate *vulnerum veſicae felleae* dubitarunt nonnulli Medici, et quidem ob ſequentes rationes. 1.) Putant quod laeſa etiam veſicula fellea tamen ſufficiens bilis copia affluere valeat ad inteſtinum duodenum per ductum hepaticum, quae chylificationem, et ſic nutritionem ac vitam, continuare valeat. 2.) Dicunt, ſtructuram veſiculae felleae ita eſſe comparatam, vt ex vulnere non ſemper fiant lethalia ſymptomata. Nam eſt tenuis muſculus excauatus. 3.) Dicunt, bilem eſſe liquorem balſamicum, et ad corruptionem minus procliuem, hinc eum, quando fluit ad cauitatem abdominis, non ibi ſtatim corrumpi, vti ſanguis, vt adeo talis effluxus lethalis haud iudicari poſſit. Quae iam dicta ſunt de veſicula fellea, applicant, in gratiam et fauorem inquiſiti, ad ductus hepatici vulnera.

Aliter vero ſentiendum, quando ductus choledochus praeſcinditur. Tale vulnus abſolute lethale eſſe oportet. Nam bilis amplius fluere non poteſt ad inteſtinum duodenum. Sic turbatur plenarie chylificatio, nutritio, et tota corporis oeconomia, et, ſi non ſubitanea, tamen lenta mors breui tempore ſequitur.

Vulnera lienis maiora, ſiue ab inſtrumento ſecante, ſiue a contundente, inflicta, merito lethalibus annumerantur. Lien enim eſt viſcus vaſculoſum, cuius vaſa rupta, aut diuiſa, momentaneam, et lethalem praeſtant haemorrhagiam. Dubitare nonnulli volunt de lethalitate vulnerum lienis, et qui-

quidem ex ſequentibus rationibus. 1.) Dicunt, quod lien ſit viſcus inutile, et nociuum. Aſt hoc dudum a Phyſiologis refutatum fuit, et potius demonſtratum, quod lien ſit viſcus vtiliſſimum, et ſumme neceſſarium in negotio bilificationis. 2.) Dicunt, quod poſſit extirpari. Aſt merito dubitatur, an extirpatio lienis operatio ſit in corpore humano poſſibilis, et ſi detur extirpationis poſſibilitas, tamen ab hac operatione ad non lethalitatem vulnerum lienis concludi non poteſt. Quando enim extirpatio ſuſcipitur, vaſa vinculis conſtringuntur, hincque haemorrhagia fieri non poteſt. In vulneribus vero lienis vaſa vulnerata neque conſtringi poſſunt ligaturis, neque adſunt ſtyptica ſufficientia, quae a vulnere natam haemorrhagiam ſupprimere poſſunt. Quodſi vero vulnera lienis magis ſunt leuiora valde probabile eſt, ea non ſemper eſſe abſolute lethalia. VAN SWITEN l. c. §. 170.

Renum vulnera quoque a nonnullis ad non lethalia referuntur ex hiſce rationibus. 1.) Quoniam HIPPOCRATES de renum vulneribus nihil relatum reliquit. 2.) Quoniam renes, ſeu ſubſtantia renum, tota interdum ab exulceratione ſucceſſiue fuerit conſumta absque momentaneo vitae periculo. Sed reſpondeo 1.) auctoritas HIPPOCRATIS hic nihil facit ad rem, et dantur alii, v. g. AVICENNA, et imprimis CELSVS Lib. V cap. 26., qui expreſſe inquiunt, ſeruari illum non poſſe, cui renes ſint vulnerati. 2.) Argumentum, ab exulceratione deſumtum, etiam hic non poteſt applicari. Nam et pulmonum exulceratio toto die contingit, interim tamen vulnera pulmonum etiam dantur abſolute lethalia. Concludendum ideo potius, iuxta principia anatomica, 1.) vulnera renum ſuperficiaria, externa, lateralia, et non coniuncta cum inflammatione nephritica, febri, anxietate, reſpiratione difficili, iſchuria, vomitu, poſſe dici non lethalia. Nam ſubſtantia renum exterior ex vaſculis pauliſper ſolidioribus componitur, in quibus conſolidatio ſuo modo expectanda. Vid. HEISTERI *Chirurg. Pars II, p. m. 903.* PLATNERI *Inſt. Chir.* §. 678.

678. 2.) Quando vero vulnus aut contusio renum ad arcus arteriosos penetrat, oritur haemorrhagia lethalis. 3.) Quando denique vulnera renum ad peluim, et corpora mammillaria penetrant, necessario non tantum supra recensita symptomata et haemorrhagia contingunt, sed et stillicidium vrinae fit ad cauitatem abdominis, qui liquores, sanguis nempe et vrina, ibi necessario putrescunt, abscessum faciunt, et, quod maximum, renum situs ita comparatus est, vt neque remedia styptica pro sanguine sistendo, neque balsamica pro vulnere consolidando possint applicari.

Vreterum vulnera quoque mortalia dicenda. Nam 1.) Vrina perpetuo exstillat, quantitate sua abdomen extendit, viscera molestat, et putredine sua illarum corruptionem promouet. 2.) Organa sunt, quae per suturam chirurgicam non coniungi possunt, nec medicamentis consolidari.

De *vulneribus vesicae* quid statuendum sit, nesciunt fere Medici, et Chirurgi, et potius lethalitatem ex effectu diiudicare volunt. Veteres Medici, HIPPOCRATES, *f. VI. aph. V.* GALENVS, CELSVS, imo ipse ARISTOTELES, *Lib. III. Hist. Anim.* vulnera vesicae lethalia pronunciant omnia. Alii distinguunt vulnera vesicae in vulnera fundi, et vulnera ceruicis, vel colli. Fundi vesicae vulnera a nonnullis lethalia per se pronunciantur; Vulnera vero colli tantum per accidens. Vt vero, vulnerata fundi esse lethalia, probent, dicunt, 1.) Substantiam vesicae esse membranaceam; ergo difficillime consolidari, 2.) Tale vulnus non tantum cum inflammationibus esse coniunctum, sed et doloribus intolerabilibus, et spasmis. 3.) Vesicam coniungi non posse per suturas, et 4.) Vrinam fluere perpetuo ad cauitatem abdominis. Ast hae rationes decidendi non sufficiunt. 1.) Enim certum est, substantiam vesicae non esse membranosam, sed musculosam, (est enim musculus excauatus) musculi vero ad consolidationem admodum sunt procliues. 2.) Dantur obseruationes, et imprimis notabilis obseruatio in

DIONY-

DIONYSII *Chirurgia*, de milite quodam, globulo ſclopeti vulnerato, qui globus penetrauit vsque ad cauitatem veſicae, ibique nucleum conſtituit calculi veſicae, qui calculus poſtea per Lithotomum feliciter extractus fuit, et ipſe Autor, iam cit. ex hoc fundamento commendat tertiam methodum, *die Obere Bereitſchafft* dictam, ad calculum extrahendum. Interim iſta veſicae vulnera, quae circa eius arterias maiores contingunt, nec non quae ita ſe habent, vt per ea, vrina ad cauum abdominis fluat omnino ſunt lethalia nuncupanda. Perill. VAN SWITEN l. c. §. 170.

De vulneribus colli veſicae nemo dubitat, quod eius vulnera ſint tantum per accidens lethalia. Hoc enim confirmant obſeruationes Lithotomorum. Quando enim lithotomia, vel potius Kyſtitomia, prouide inſtituitur, vix centeſimus moritur.

Vteri vulnera rariora quidem eſſe ſolent, quoniam ſexus ſequior ad cruentas digladiationes non inclinat. Hinc quoque parum, vel nihil, de vteri vulneribus, eorumque lethalitate reperitur. Contingunt tamen variae vteri laeſiones, de quibus Medici in foro interdum interrogantur. Putant tamen nonnulli, quod vteri vulnera non ſint lethalia dicenda, et quidem ob ſequentes rationes. 1.) Quoniam vterus tantummodo pars ſit deſtinata ad procreationem ſobolis, non vero ad vitam matris. 2.) Dicunt, vulnera vteri non eſſe lethalia ex hac ratione, quoniam in partu caeſareo lata ſectione vterus vulneratur. 3.) Quoniam vterus abeſſe poteſt ſalua vita. Sed reſpondeo 1) Falſum eſſe, quod vterus non pertineat ad vitam matris. Eſt enim organon ſecretionis menſium, et ſine menſium ſecretione, quae in vtero et eius vagina fit, ſanitas matris perſiſtere non poteſt. Secundum argumentum quoque facile corruit. Ab vna enim obſeruatione non poſſumus formare regulam. Plures inſuper foeminae in partu caeſareo moriuntur, quam euadunt. Tertium quoque falſum eſt, vel ad minimum obſeruationes ſunt rariſſi-

mae. Laesiones vteri vero longe sunt periculosiores gestationis tempore, quam alio. Ita enim mater, et foetus, laeditur, imprimis, quando vterus contunditur in parte antica circa pubem, et vmbilicum, vel circa latera. Ita enim 1.) stigmata monstrosa foetum signare possunt, vel 2.) Abortus promoueri potest momentaneus, ac foetus ita extinguitur, posteaque corruptus excluditur, vel 3.) turbari potest structura vteri, cum disrúptione vteri, quae disruptio in momento matrem et foetum extinguit.

Sed non omnia grauidis inflicta verbera, aut pedibus factae laesiones, foetui immediate vestigia et stigmata imprimunt, quemadmodum scite judicat BOHN. *de vuln. lethal. p. 262.* dum imaginatio matris imprimis accusari potest, et debet. Quanta enim imaginationis vis sit, vbique per exempla comprobatur, et naeui materni insimul testantur. Interim tamen, quando violentia cum imaginatione coniungitur, foetus magis laedi potest, vel defoedari.

Ad laesiones vteri lethales pertinent quoque illae, quae in partu contingunt ab improuida obstetricis manu. In partu enim multis modis laeditur parturiens, dum, non tantum foetus inconuenienti modo extrahuntur, sed et secundinae, quibus laboribus facile vterus vel dilaceratur, vel insimul extrahitur, vel haemorrhagia enormis, et inflammatio gangraenosa lethalis accersitur.

Vulnera partium genitalium in sexu masculino paulo rariora existunt, interim tamen interdum contingunt, et, si contingunt, Medici legalis atque forensis iudicium ICti exposcunt. Contingere autem possunt 1.) Vulnera vasorum spermaticorum, in abdomine delitescentium, quae vulnera propter haemorrhagiam, quae nullo remedio sisti potest, dici debent lethalia. 2.) Vulnera vasorum spermaticorum, extra abdomen existentium, non absolute dici possunt lethalia. Etenim remedia admittunt, vt balsama, emplastra, liquores stypticos, etc. ac castratione ad minimum tale vulnus consolidari potest.

Vulnera

Vulnera testium, item et contusiones testium, laesiones dici possunt lethales; accedentibus nimirum conuulsionibus, spasmis, et gangraenosis inflammationibus. Quae symptomata in hisce organis sanguifero-neruosis laesis communissime contingunt. Interim tamen, quando tempestiue castratio suscipitur, hocce remedium hominis, hac ratione vulnerati, vitam conseruare potest. Castratio enim, experientia teste, operatio est chirurgica satis tuta, imprimis, quando conuenienti modo, et prouida manu suscipitur. Plures enim conseruantur ita. Interim tamen, quando illegitimo modo suscipitur, Chirurgus quoque accusari potest.

Vulnera vesicularum seminalium non quidem absolute dici possunt lethalia, sed tamen sunt periculosa. Constant enim ex tunicis tendinoso-neruosis tenuioribus. Hinc vulnera dolores, et spasmos praestant, a quibus per accidens inflammatio gangraenosa ac mors producitur. Porro sunt receptacula seminis. Quando itaque vulnerantur, posteaque per callum consolidantur, aliqualis producitur impotentia. Nam semen virile amplius in conueniente quantitate neque colligitur, neque conseruatur, neque eiicitur.

Vulnera corporum neruosorum penis non quidem absolute lethalia dici possunt; nam abscissio penis operatio possibilis est, id quod cubiculares Imperatoris Turcarum viuis exemplis testantur; vid. et PALLVCII *Nouuelles remarques sur la l'itbotomie. Paris. 1750.* Interim tamen valde periculosa sunt. Tale enim vulnus sine enormi dolore, siue excessiua haemorrhagia, fieri vix potest, a quo dolore facile excitatur gangraenosa inflammatio, conuulsio, aliaque periculosa symptomata, Haemorrhagia quoque, in tali abscissione contingens, non omnia remedia admittit. Nec enim vstio, nec cauterisatio, nec ligatura in loco hoc, sensu exquisitissimo praedito, applicari potest. Quando itaque pulueres styptici, et liquores styptici, non sufficiunt, moriuntur eiusmodi miseri.

Artuum vulnera an sint per se lethalia dicenda, dubitant

nonnulli, et quidem ex his rationibus, 1.) quoniam non organa ſunt, ad vitam abſolute neceſſaria. 2.) Quia poſſunt amputari. 3.) Quoniam vulnera conuenienti modo poſſunt deligari, ſtypticis, ſuturis, cauteriis, aliisque ſimilibus. Sed reſpondemus, quod iam allegatae rationes tantummodo poſſint applicari ad vulnera in artubus extremis. Quando vero vulnera artuum contingunt in partibus, trunco corporis propinquioribus, vbi vaſa maiora exeunt ex cauis, tunc rationes illae non quadrant. Quando enim ibi vulnera contingunt, vaſorum ſanguiferorum, imprimis arteriarum, haemorrhagia nullo remedio ſiſti poteſt. Et ſi ſiſtitur haemorrhagia, tamen ſequitur in parte inferiori inflammatio gangraenoſa. Moritur enim illa pars ob defectum circuli ſanguinis. Quando contingunt vulnera neruorum maiorum, oritur in parte inferiori momentanea paralyſis, in parte ſuperiori vero, imo in toto corpore, contingunt conuulſiones febres, deliria, et ſpaſmi, qui nullo remedio fere tolluntur. Santur ergo laeſiones artuum, quae interdum abſolutam afferre poſſunt lethalitatem. Vid. WALDSCHMIDII *Diſſ. de Vulneribus arteriarum in artubus ſaepe funeſtis, raro lethalibus. Kiel. 1728.* Ad vulnera artuum pertinent quoque vulnera tendinum maiorum, ac oſſium grauiora, quibus tota horum ſubſtantia deſtructa aut diffracta eſt, vt medulla effluat, v. g. chordae achilleae, tendinumque in regione poplitum. Huc pertinent quoque ligamenta articulorum notabiliora, quae, quando vulnerantur, iuxta ſententiam nonnullorum, abſolutam lethalitatem efficiunt. Celeb. BOHN. ipſe eiusmodi vulnerum lethalitatem non in totum negat, *p. 166. de vulner. lethal.* Et inſuper tum ratio hoc docet, tum experientia confirmat. Et inſuper tum ratio hoc docet, tum experientia confirmat. In eiusmodi enim vulneribus obſeruantur intolerabiles dolores, qui peſſimum ſymptoma ſubito introducunt, inflammationem nempe gangraenoſam. BOHN. *l. c.* ſententiae huius veritatem exemplo quodam confirmat, vbi ex vulnere

tendinis

tendinis maioris genu, patellam inuoluentis, fine praeuia haemorrhagia, et inflammatione, spatio 24. horarum sphacelus lethalis fuit productus, quamuis defensiua necessaria intus et extus fuerint applicata.

Ad vulnera merito referri debent aliae laesiones, fustigationes, concussiones, et pedibus factae calcitrationes, nec non omnes laesiones, instrumentis duris factae, et sic plagae incruentae, quae, quamuis sine integumentorum communium dilaceratione fiunt, tamen profunde satis carnem, vasa sanguifera, lymphatica, et neruosa disrumpunt, et dilacerant, nec non liuores, sugillationes, et sanguinis periculosas euacuationes post se relinquunt.

Cum vero omnis sugillatio ita sit comparata, vt sanguis, ita stagnans, ad corruptionem inclinet, quae corruptio, dum profunde latitat, nullo sane remedio auerti potest: Ideo talis laesio citissime gangraenosa praestat vestigia, vt et febrim, conuulsiones, sanguinis extraordinarias euacuationes, et mortem ipsam, inferre potest. In eiusmodi laesionibus aggressorum defensores semper dubium mouent, an a verberibus immediate, an vero ab alia causa, morbo nempe latente, vel a morbosa dispositione, aut ab affectu quoque, vel antecedaneo, vel concomitante, vel superueniente, mors contigerit. Ad eiusmodi dubia respondere debet Medicus, ad legalem quaestionem antea requisitus. Quo vero hoc iuxta conscientiam fiat, attendere debet et examinare, an percussus olim, fuerit perfecte sanus. Si hoc certum, concludendum, ictuum grauitatem absolute mortis causam extitisse, imprimis, si statim post laesionem symptomata lethalia adfuerint, quae ad finem vitae vsque perdurauerunt. Inspectio demum et lustratio cadaueris omnia dubia soluere potest. Quando vero aliquis morbus, et dispositio grauis, praecesserit, vtique dubius manere potest Medicus. Nescit enim interdum, an a morbo, an a laesione mortuus sit vulneratus. Considerari itaque debet morbus, ut causa socia, quae, cum laesione coniuncta, interitum accelerauit. * Qui

* Qui plura, hiſtoriam hanc de lethalitate vulnerum illuſtrantia, legere cupit, is euoluat, praeter iam citatos, adhuc ſequentes Autores: BVDAEVM *in Collectaneis Medico Chirurgicis*; RICHTERVM *in Digeſtis Medicis ſeu DeciſionibusMedico-Forenſibus*; SCHLICHTING *in Traumatologia Nouantiqua*; FABRICII Samlung einiger *Medicinischer Reſponſorum*; SCHVSTERVM *in Comment. diffic. quaed. them. ad Medicin et Jurisprud. pertin. etc.* CLAVDERVM *in Prax. Medico-Legal.*; TROPANEGGERVM *in Deciſion. Medico Forenſ.* HOMMELIVM *in Diſſ. de Lethalitate Vulner. Lipſ. 1749.*

CAP. XXIV.
DE INFANTICIDIO.

Quando de infanticidio ſermo eſt, duae ſemper mouentur quaeſtiones: *I. An partus vivus, an mortuus excluſus fuerit? II. An reuera partus manu violenta occiſus fuerit?* Prius ideo demonſtrandum eſt, quoniam communiſſime infanticidae excipiunt, foetum vel in vtero, vel in ipſo actu partus extinctum eſſe, ſine omni violentia adhibita. Poſterius etiam demonſtrandum, quoniam interdum miſerrimae perſonae vel ex inſania ſe accuſant de hoc crimine, quod tamen ab illis non fuit perpetratum.

Vixiſſe autem foetum ad partum vsque, et poſt illum generatim cognoſci poteſt ex eiusmodi ſignis, quae foetum in lucem editum reſpiraſſe, nec non motum ſanguinis circulatorium in ipſo adfuiſſe declarant, ſpeciatim vero ex ſequentibus concludi poteſt.

1.) Ex integritate, et conformatione conuenienti, omnium organorum, quoad longitudinem, et craſſitiem.

2.) Cognoſci debet ex funiculi vmbilicalis conformatione.

tione. Funiculus enim ſucculentus, nodoſus, et candidus viuum et vitalem notat foetum. Contra funiculus flauus, flaccidus, rugoſus, putridus et dilacerabilis notat, foetum mortuum eſſe ante partum. Interim ſtatus funiculi vmbilicalis rugoſus fallere poteſt. Ab aëre enim facile corrumpitur, et exſiccatur.

3.) Ex colore foetus, vel infantis dignoſcere poſſumus, aut vixiſſe illum in partu, aut ante partum mortuum eſſe. Nempe, quando infans rubet, et carnoſus deprehenditur, vixiſſe credibile eſt, quando vero pallet, liuetque, et eius corpus flaccidum et corrugatum eſt, tunc concludere poſſumus, foetum ante partum mortuum eſſe. Quo pertinet ſuo modo calor corpuſculi. Quando enim ab adſtantibus ſtatim poſt partum calidum fuit deprehenſum, tunc credibile eſt, foetum in partu vixiſſe, et contra.

4.) Ex matre. quando haec per totum grauiditatis tempus proſpera gauiſa fuit valetudine.

5.) Videndum, an ex funiculo vmbilicali, non deligato, ſanguis copioſe effluxerit. Si hoc, vivum extitiſſe, concludendum, et contra. Imprimis autem in foetu mortuo mox ad putredinem inclinat funiculus vmbilicalis. Et quando ex haemorrhagia funiculi vmbilicalis infans moritur, nulla vel exigua ſanguinis quantitas, in corpuſculo, et viſceribus, deprehenditur. Corculum, cum ſuis auriculis, flaccidum eſt, nec ſanguine repletum. Vaſa omnia, imprimis maiora, ſunt euacuata. Hepar, lien et reliqua viſcera pallent. Errarunt hinc veteres, qui omnes, ni fallimur, autumabant, omiſſam funiculi vmbilicalis deligationem ſemper eſſe certum infanticidii perpetrati criterium, nam iis tantum in caſibus funiculus vmbilicalis non deligatus exhibet commiſſi infanticidii criterium, hoc eſt, iſtis in caſibus foetum ex haemorrhagia funiculi vmbilicalis eſſe mortuum concludere poſſumus, quando parum adhuc ſanguinis in viſceribus atque vaſis ſanguiferis maioribus infantis deprehenditur. Qui plura de hac

materia

materia praesertim, quae controuersias, quae ideo inter eruditos nostri aeui exortae sunt, concernunt, legere cupit, is euoluat IO. HENR. SCHVLZII *Diss. An umbilici deligatio nuper natis absolute necessaria?* Hal. 1733. CHR. LVD. SCHÆLII *Diss. de funiculi vmbilicalis deligat. non absol. necessar. Götting 1755.* CARL FRID. KALTSCHMIDII *Progr. de intermissa funiculi vmbilical. de ligation. Ienae 1751.* IO. ZELLERI *Diss. de vita humana e fune pendente, Tub. 1692.* PH. AD. BOEHMERI *Diss. de necessaria funiculi vmbilicalis viuasorum structurae, in nuper natis deligatione Halae 1746.* MICH. ALBERTI *Diss. de funiculi vmbilicalis neglecta alligatione in causa infanticidii limitanda, Hal. 1731.* IO. ER. HEBENSTREIT *l. c. etc.* PETR. CHR. BVRGMANNI *Epistol. de quaestione, num funiculi vmbilicalis intermissa deligatio infanti recens nato sola mortem afferre quaeat? Rostoch. 1734.*

6.) Examinandae sunt circumstantiae durante, gestatione notabiles, imprimis vltimis ante partum diebus, v. g. An per lapsum, et concussionem abdominis, medicamenta abortum promouentia, venae sectionem largiorem, *sternutationem*, terrorem, iram, irregularem diaetam, foetus laesus sit, vel debilitatus, et sic ad partum ineptus redditus.

7.) Examinandae sunt quoque circumstantiae in partu ipso, quo pertinent sequentes. 1.) An in partu motus foetus adfuerit? *Ob das Kind sich zeit währender Geburt beweget, und ob solche Bewegung die Mutter, oder* adstantes *empfunden?* 2.) num partus fuerit facilis, an vero difficilis, vel plane praeternaturalis? Facilis enim partus foetum viuum extitisse notat, et contra. 3.) Huc pertinet situs funiculi vmbilicalis circa foetum: *Ob das Kind in der Geburt sich umschlungen gehabt, insonderheit um den Hals?* Ita enim in partu foetus suffocatur. 4.) Examinandum, an ante partum, vel etiam in partu, sanguis per pudenda muliebria notabiliter effluxerit. Hoc enim quoque notat separationem placentae foetus, ante partum ab vtero materno factam, et sic, per consequens, mortuum esse foetum ante partum.

8.) Cir-

8.) Circumſtantiae etiam poſt partum examinandae. V. g. An fluxus lochiorum enormis, et doloroſus, adfuerit, cum notabili imbecillitate. Hoc quidem in omni partu contingere poteſt, interim tamen in partu difficili hoc primario fieri ſolet. Examinari etiam v. g. debet, num foetus in lucem editus clamauerit, nec ne? ſi enim prius locum habet, tunc concluſio erit certiſſima quod foetus poſt partum vixerit.

9.) Videndum, an ſeparatio ſecundinarum ſine moleſtia facta ſit? Facillime enim ſeparantur ſecundinae in partu naturali, difficillime in praeternaturali.

10.) Si ſecundinae haberi poſſunt, etiam illae a Medico examinandae ſunt. Secundinae enim turgidae, et vbique ſanguine repletae, foetum vixiſſe, notant; contra putredine corruptae, flaccidae, et corrugatae, foetum in vtero mortuum eſſe, ſignificant. vid. EWALD. *Diſſ An foetus humanus viuus aut mortuus natus ſit? Regiom. 1716.* CH. VATER *Diſſ. de ſignis infanticidii imputati diagnoſticis. Vitemb. 1722.* ABR. VATER *Diſſ de valore et ſufficientia ſignorum infantem recens natum viuum aut mortuum editum, arguentium. Vitemb. 1735.*

11.) Ex abſentia iſtorum ſignorum quae indicant foetum in vtero materno iam eſſe defunctum, qualia inprimis ſunt haec: 1.) Si foetus per partum excluſus non eſt rigidus, 2.) cutis ipſius laxa, rugoſa, flaueſcens, liueſcens. 3.) Si totus habitus ita eſt mutatus vt adulti magis hominis quam embryonis repraeſentet figuram, 4.) ſi abdomen praeter modum collapſum eſt, 5.) ſi ſigna putredinis manifeſta iam adſunt, 6.) ſi cutis facile dehiſcit cruorque tetri coloris e variis corporis regionibus emanat putridus etc. vid. ALBERTI *Iurispr. Med. Tom. I. Cap. IX.* nec non eiusd. *Diſſ. de Foetu mortuo, Halae 1729.*

In inſpectione cadauerum varia ſunt notanda, quae violentiam illatam indicant. Hinc videndnm: 1.) Quomodo ſeſe habeat tota ſuperficies corporis externa, an ſugillatio hinc inde in corpore, imprimis vero in capite, ſit. Sugillatio

enim vera cum liuore, et ſanguine ertrauaſato, in viuo tantum corpore contingit. vid. DELII *Diſſ. de Sugillatione quatenus infanticidii indicium eſt. Erlang. 1751.* Talis ſugillatio fit 1.) In fontanella infantum, ſiue hiatu rhomboideo: *Wenn dem Kinde das Blættgen eingedruckt iſt.* Et talis violentia mortis cauſa exiſtit. *a*) Suggillatio contingit interdum circa tempora a compreſſione, et violentia. *b.*) Contingit ſugillatio talis cum fractura cranii, quod ſignum maximam violentiam illatam notat. *c.*) Sugillatio exigua in fontanella et circa tempora oritur, quando infans moritur a puncturae aculeorum: *Wenn das Kind mit einer Nadel ertœdtet wird. d.*) Sugillatio talis interdum contingit circa nucham, in loco connexionis primae vertebrae colli et oſſis occipitis: *Wenn denen Kindern das Genick zerbrochen.* Item moriuntur infantes ab acus punctura in nucha. *e*) In toto collo, et aliis colli vertebris, fit ſimilis ſugillatio, quando collum intorquetur. *f*) Sugillatio contingere poteſt in parte antica colli, circa laryngem quando infans compreſſione violenta ſuffocatur. *g*) Sugillatio etiam in pectore contingere poteſt: *Wenn, durch Zuſammendrückung der Bruſt, ſie das Kind erſticken. h.*) Sugillatio contingit circa ſcrobiculum cordis, item circa vmbilicum: *Wenn*, per compresſionem *daſelbſt*, *das Kind ertœdtet worden.* Ex his ſimul apparet, quod dentur varii modi interficiendi innocentem infantem, recenter natum. vid. WOLFARTHII *Diſſ. de Infanticidio doloſo. Frf. 1750.* 2.) an adſint luxationes, fracturae etc. et quales? 3.) an corpora peregrina adſint in concauo oris, narium? 4.) an placenta vterina adhuc cohaereat cum funiculo vmbilicali? 5.) an funiculus vmbilicalis ſit ligatus, nec ne? 6.) an funiculus vmbilicalis ſit diſciſſus, vel magis abruptus? imo attendere ſimul debet Medicus ad funiculi vmbilicalis colorem et longitudinem etc.

Aſt eiusmodi ſigna externa non facile ſufficiunt, ſed luſtranda deinceps viſcera interna, non in vna, ſed in tribus illis cauitatibus, thorace ſc. abdomine et capite. Aperto cadauere

daucre

dauere 1.) in abdomine examinanda ſunt vaſa vmbilicalia, nec non alia vaſa ſanguifera maiora, an ſint ſanguine repleta, an non? An ſugillata et rupta? 2.) An in abdomine ſanguis extrauaſatus contineatur? 3.) An color hepatis et lienis ſit rubicundus? 4.) An ventriculus ſit repletus, et diſtentus liquore amnii, non corrupto, nec putrido, ſed recenti? 5.) an meſenterii vaſa ſint repleta, nec ne? 6.) an notabilis meconii quantitas in inteſtinis craſſis adſit, nec ne? defectus enim meconii indicat fatum ante partum eſſe mortuum.

In pectore cor luſtrandum venit, cum auriculis atque ventriculis, an ſit flaccidum, an vero rubrum et ſanguine repletum? Quando enim cor, cum auriculis, a ſanguine turget, indicatur, infantem non eſſe mortuum ab haemorrhagia, per funiculum vmbilicalem facta. Dein etiam examinanda ſunt reliqua vaſa ſanguifera maiora in pectore haerentia, num ſint ſanguine repleta, an vero minus; in priori enim caſu tuto argumentari poteſt Medicus fatum non eſſe mortuum ex haemorrhagia. vid. b. HEISTERI *Diſſ. de ſumme neceſſaria inſpectione cordis vaſorumque maiorum ſub legali infantum diſſectione. Helmſt. 1752.* Porro inſpiciantur pulmones. De pulmonibus foetus, eorumque ſtatu diſputant Medici veteres et recentes. Ipſe GALENVS, *de vſu partium tit. 6.* pulmonem, inquit, in foetu (h. e. in infante, in vtero mortuo) eſſe rubrum, tenellum, collapſum, denſum et ponderoſum quoad ſuam ſubſtantiam, in viuo vero infante ſubſtantiam eſſe pulmonum albam, raram et leuem. Hoc confirmat experientia omnium celeberrimorum Anatomicorum. Ideo etiam iuxta hanc theſin inſtituunt docimaſiam pulmonum in aqua, *die Waſſerprobe mit der Lunge*, et obſeruant, quod pulmones foetus, ante reſpirationem, et ſic in vtero mortui, in aqua fundum petere ſoleant, foetus vero viui pulmones ſemper in aqua ſupernatent.

Haec docimaſia pulmonum in aqua iuxta regulas naturae vera, imo veriſſima eſt. Nam quando aer intrat pulmones, tunc nunquam penitus e pulmonibus egreditur, ſed

ſemper aliqualis portio aeris in pulmonum cellulis manet, a quo aere pulmones fiunt leues, hincque ſemper ſupernatant. Hoc multoties tentaui in foetu vitulino, et ſemper experimentum ſucceſſit.

Celeberrimus BEYERVS, *ICtus et Profeſſ. P. Wittebergenſis*, in *delineatione iuris criminalis ſecundum C. C. C. V. hancce pulmonum explorationem medicam probat*, eamque inſimul commendat, id, quod vna facit Illuſtris LVDOVICI, in *comment. ad C. C.* iam citatam *Art. 35.* Interim tamen citatus BEYERVS, *l. c. p. m. 59.* inſimul, non ſine ratione, inquit, quod in hoc experimento caute ſit procedendum, et quod 1.) ſit diſpiciendum, an cadauer adhuc recens ſit. Quando enim putredine reſolui pulmones incipiunt, et foetorem ſpargunt, licet extrinſecus aerem non hauſerint, in aqua tamen eminent, et hoc fieri putat ideo, quoniam fermentatio et putrefactio, in pulmonibus ſponte facta, aerem in mediis eorum penetralibus poſſit generare. Hoc argumentum etiam cauſidici nonnulli arripiunt, qui infanticidarum defenſiones in ſe ſuſceperunt. Nos praeſentibus auditoribus anatomiae ſaepius ſollicite hoc experimentum ſuſcepimus in pulmonibus vitulorum. *Wir haben genommen die* pulmones *derer todt gebornen Kælber, und dieſelbige zu 3. 4. 5. 6. 7. 8. Tage lang faulen laſſen, und ſie in Waſſer* probir*et, da wir denn gefunden, daſz ſie zwar nicht ſo geſchwinde zu Boden fallen, und etwas leichter zu ſeyn ſcheinen, iedoch haben ſie niemahlen oben ſchwimmen kœnnen, ſondern ſind ſucceſſiue geſunken, und zu Grunde gangen.* Hoc experimentum confirmat, quod nulla putredo, ne extrema quidem, pulmones foetus ad eam leuitatem perducere valeat, quae reperitur in pulmonibus animalium, facta prius reſpiratione, vel aeris inflatione. Et contra per putredinem pulmones grauitatem quoque non acquirunt, id quod quoque nonnulli putarunt, qui dubium mouerunt, an non pulmo poſt contractam putredinem in aqua fundum petat? Ad hancce obiectionem iam Cl. Medici Lipſienſes, RIVINVS

et

et LANGIVS, dudum responderunt, quam responsionem videbis in Dn. D. SCHREIERI *Erœrterung und Erklærung der Frage, ob es ein gewisses Zeichen, wenn eines todten Kindes Lunge im Wasser untersinke, dasz solches im Mutterleibe gestorben sey? Zeiz 1690.* item in eruditissima Cl. SCHOEPPFERI, *dissert. iuridica de pulmone Infantis natante, vel submergente, p. 10.* Hoc responsum huius est tenoris. *Nachdem derselbe unlængst auf die vorgelegte Frage; ob dieses vor ein gewisz Anzeichen zu achten sey, dasz ein Kind todt auf die Welt kommen, wenn dessen Lungen in Wasser unterfielen? von uns zur Antwort bekommen, dasz man allerdinges, Krafft gegebenen* rationen *und* experimenten, *gewisz seyn kœnne, es sey ein Kind nicht lebendig geboren, sondern im Mutterleibe gestorben; und er ferner von uns zu wissen begehret, ob, wenn ein Stück von der Lunge eines todten Kindes, zumahl etliche Tage nach der Geburt, im Wasser-untersincke, daraus abzunehmen, dasz das Kind in Mutterleibe, und noch vor der Geburt todt gewesen, oder ob solches aus andern Ursachen, ungeachtet das Kind lebendig zur Welt kommen, sich mit der Lunge gleichfalls zutragen kœnne: Als geben wir hierauf zur dienstlichen Antwort, dasz, ob gleich nicht allein die damahl angeführten* rationes *auch allerdings auf diesen Fall sich* extendiren *wir dennoch, zu mehrerer Versicherung dessen, unterschiedene* experimente *angestellet, und die Lunge von einem Kalbe, so lebendig geboren worden, so lange in die Erde vergraben, eine andere ins Wasser geleget, eine andere in die Lufft gehencket, bisz sie insgesamt zu faulen und zu stincken angefangen. Es ist aber eine so wohl, als die andere, gantz und stückwaisz oben geschwommen, eben wie zuvor, da sie noch frisch gewesen. Wenn denn unstreitig ist, dasz Lungen, so einmahl Lufft geschœpffet, weder durch Fæulung, noch andere Art und Weise, kœnnen darzu gebracht werden, dasz sie untersincken, als bleibt iederzeit auf festem Grunde stehen, dasz wenn die Lunge eines todten Kindes, oder ein Stück davon, auch etliche Tage nach der Geburt untersincket, dieses aus keiner andern Ursache, als daher, rühren kœnne, dasz das Kind noch vor der Geburth im Mutterleibe todt gewesen. Solches haben*

wir, auf Begehren, hiemit bey unserm gutem Gewissen attestiren *wollen. Geschehen Leipzig, den 18. Iulii, 1684.*

(L.S.) D Aug. Quirin Rivinus.
(L.S.)D.Christian Iohann Lange.

Tit. *Herrn* D. Christian
Thomasio.

Iuxta sententiam iam laudati BEYERI porro 2.) fallere potest submersio pulmonum, quando pars pulmonum scirrhosa est, calculisque oppleta. Hocce dubium quidem non sine ratione mouetur, et concedo, quod talis materia scirrhosa et calculosa pulmonum grauitatem augere valeat; ast, an tanta exinde consurgat grauitas, quae descensum pulmonum plenarium in aqua causare possit, merito dubito. Et si in frusta diuersa secantur pulmones, veritas mox apparebit. Nunquam enim tota substantia pulmonum scirrhosa, vel calculis oppleta, reperitur in adultis, multo minus in infantibus, recens natis.

Contingit interdum, vt pulmones infantis, ante partum, vel in partu iam mortui, a mulierculis adstantibus, quae eum adhuc viuere credunt, inspirato, vel potius inflato, aere, expandantur. *Wenn dem todt gebornen Kinde starck in den Mund geblasen wird.* Ita per inflationem, in os factam, pulmones ab aere distenduntur et postea supernatant. Huius rei possibilitatem ipse BOHNIVS admittit, cum Facultate Medica Lipsiensi Vide cit. Auct. Librum *de renuntiatione vulnerum lethalium, p. m. 182.*

Fieri potest, vt infans, capite exclusus, (*Wenn das Kind mit dem Kopffe geboren ist*) autequam totus excludatur, respirauerit, statim vero, antequam reliquo corpore vtero egressus fuerit, moriatur, et quidem absque malitia matris. Haec est circumstantia non contemnenda, ast a Medico non decidenda, sed a iudice in inquisitione inuestiganda. BEYERVS hancce circumstantiam pro naturaliter impossibili habet. Putat enim, quod, excluso capite, corpus reliquum statim facillime

me, absque mortis periculo, ſubſequatur. Veruntamen hic celeberrimus Auctor fortaſſis non perpendit, quod infans, capite excluſo, poſſit ſuffocari, vel a funiculo vmbilicali, eum ſtrangulante, (*Wenn das Kind ſich um den Hals, mit der Nabel-Schnur, umſchlungen*) vel quando vterus et pudenda muliebria externa conſtringuntur circa collum infantis. (*Wenn die Gebær Mutter ſich um den Hals des Kindes zuſchlieſſet, welches bey Geburten gar œffters geſchiehet*) Ita ex duplici cauſa foetus, capite excluſus, et qui ſemel reſpirauit, pulmonesque aere repleuit, ſuffocatur in partu, ante excluſionem totius corporis. b. FR. HOFFMANN in *Med. Conſult. tom. III. Decid. III. caſ. I.*

Foetus viuus interdum excluditur, antequam vero reſpirauit, et aerem in pulmones recepit, a matre malitioſa, vel adſtantibus, ſtatim interficitur. Hinc eius pulmones in aqua fundum petunt. Cl. BEYERVS hoc quoque admittere non vult. Arbitratur enim, quod infans illaeſis inuolucris in partu naſci non poſſit. Inquit ideo, *theſ. 29. p 60. l. c. denique, ut infans, lymphae innatans, illaeſis inuolucris naſcatur, impoſſibile eſt; iis vero ruptis, licet caput adhuc circumdent, partum non reſpiraſſe, nemo affirmare audebit, qui vim aeris, vndique irruentis, perpendit.*

Sed reſpondemus ad hocce dubium. 1.) Quod infans naſcatur illaeſis inuolucris, in ſpecie amnio, nullo modo impoſſibile eſſe, videtur. Contingit potius toto fere die non tantum in partu brutorum, ubi fere omnia animalia, tunicis circumdata, excluduntur, ſed et in ipſo humano. Ideo Medici huncce partum perfecte naturalem vocant, quia, dum infans excluditur illaeſis integumentis, illaeſo imprimis amnio, excluditur, vt ouum. 2.) Saepiſſime contingit, infantem in laboribus partus debilitatum et ita lipothymicum redditum, poſt partum ſe habere, ad aliquot momenta, vt mortuum. Hinc neque reſpirat, neque vllum indicium fere vitae in eodem deprehenditur. Medici ideo et obſtetrices tot commendant

mendant remedia, quae excitantia ſunt, et eiusmodi partum in vitam reuocant, quo pertinent irritationes ani et pudendorum, inflationes aeris per os, frictiones cum aqua Anhaltina, cinamoni, liliorum conuallium cum vino, balſamo embryonum, etc. Ex his iam dictis apparet, quod circumſpecte ſit procedendum, quando de infanticidio iudicium eſt ferendum. De hac materia, tam ardua, tamque difficultatum plena, legi meretur vlterius Celeb. ZELLERI *diſſert. M. L.* cuius titulus eſt: *Infanticidas non abſoluit, nec a tortura liberat pulmonum in aqua ſubſidentia*, BOHNIVS, *de offic. medici, part. 2. cap. de renunc. difficultatibus*, it. huius Cl. auctoris tract. *de R. V. L.* in appendice nouae editionis diſſert. *de infanticidio*. MICH. ALBERTI *Diſſ. de prudenti pulmonum ſubſidentium experimenti adplicatione Hal. 1728.* IO. HENR. GELLHAVSEN *Diſſ de pulmonibus non natorum aquae innatantibus, Prag 1728.* b. HEISTERI Progr. quo oſtenditur: *ex pulmonis foetus innatatione vel ſubmerſione in aqua nullum certum infanticidii ſignum deſumi poſſe.* Helmſt. 1722. CARL FR. KALTSCHMIDII Progr. *de experimento pulmonum infantis etc. Ien. 1751.* HEBENSTREIDII *Anthropolog. p. m 401 ſeq.*

Examinantur denique pulmones ex hac ratione, an nempe per ſuffocationem extinctus ſit infans? in quo caſu aſpera arteria ſero et muco ſpumoſo repleta deprehenditur pulmones etiam liuent, ob ſtagnantem in pulmonibus ſanguinem, facies et collum in ſuffocatis omnibus quoque tumet, cum aliquali colore fuſco. Quando vero per vinculum ſtrangulatio facta fuit, linea rubra in collo conſpicitur.

Modi vero ſuffocationis varii ſunt. 1.) Per compreſſionem oris et narium. 2.) Per repletionem oris et narium, quauis materia facta, v. g. linteaminibus, cinere, etc. 3.) Facile ſuffocatur infans, quando ſub integumentis craſſioribus detinetur. 4.) Quando infans a partu in faciem conuerſus ita per tempus relinquitur. (*Wenns Kind aufs Geſichte gelegt wird.*) 5.) Suffocatur infans per compreſſionem aſperae

arteriae

arteriae in parte antica colli, quae compressio multiplici modo, imo interdum casu, fieri potest.

Tandem caput satis caute aperiendum. Nam ibi quoque varia signa violentiae externae in oculos incurrunt. Omnis enim laesio capitis in infantibus, recens natis, plerumque funesta est et lethalis. Talis laesio fieri potest, 1.) Quando caput infantis in partu ab ossibus pubis matris comprimitur. 2.) Laeditur infans ab obstetrice interdum, quando nempe illa, vi quadam, ossa temporum luxat et comprimit. 3.) Malitiose comprimitur fontanella infantum, vel acu perforatur, a quibus violentiis tamen semper oriuntur vestigia, stigmata, et suggillatio, sanguinisque profusio, vel circa meninges, vel etiam in ipso cerebro. Hinc semper, quando apertura caluariae est facta, Medicus probe examinare debet *a.*) cerebrum ratione coloris, consistentiae, ventriculorum. *b.*) num adsit humor extrauasatus, qualis? quantum? ac ubi situm suum habeat. *c.*) num vasa cerebri sint sanguine turgida, nec ne? *d.*) num adsint fracturae vel aliae ossium caluariae laesiones etc. 4.) Porro interire debet infans, si non statim a placenta vterina liberatur. Nam sanguis, qui per vasa vmbilicalia a matre ad foetum mouetur, refrigeratur, vitalitatem suam deponit, et calorem naturalem, hincque coagulatur, et ad circulationem minus aptus redditur, a quo vitio varia symptomata, imprimis vero lipothymia et syncope infantis oriuntur.

Denique interire debet infans, quando conuenienti modo non fouetur et reficitur. Foetus enim atmosphaeram intrat, hincque ex loco calido in frigidum. Ideo aeris liberioris iniurias perferre non potest. Oritur sic horripilatio, sanguinisque coagulatio, vnde circulatio sanguinis cessat, et infans ex frigore moritur. Excusantur tamen puerperae, quando temporis partus inconsciae sub diu versantur, et foetum contra indementiam nullo modo defendere possunt.

Plura quidem, doctrinam hanc magis illustrantiae adhuc possent addi, sed scopus praefixus hoc iam non permit-

 tit.

tit. Coronidis ergo loco quosdam tantum Autores, exceptis iam citatis allegare volumus, qui scriptis suis hanc doctrinam vberius exposuerunt, et qui digni sunt, qui legantur. Tales sunt ALBERTI *in Syst. Iurispr. Med. Tom. I. p. 168. et in Comment. in C.C.C. p. 267. seqq.* G. CH. DETHARDING *in Diss. de Cautione Medici circa casus infanticidiorum Rost. 1754.* GVIL. CHRIST. HOFFMANNVS *in Disqv. Medico-Forensi, de ossibus fatus, quatenus inseruiunt eiusdem determinandae aetati in casu suspecti infanticidii.* Frckf. und Leipz. 1751. 4.

CAP. XXV.

DE TORTURA ET POENIS CORPORIS AFFLICTIVIS.

I. *Qu. Quid sit tortura? quid poena?*

Tortura, germ. *die Marter, oder peinliche Frage*, est actus, quo reus de *crimine* commisso interrogatur, et pro qualitate *delicti* et indiciorum, ad confitendam veritatem certis tormentorum generibus a carnifice cruciatur. Haec definitio indicat, quod sit cruciatus et dolor, vel corporis, vel animi, ab extra illatus, vel verbis, vel instrumentis. Si enim territio verbalis instituitur, nullus corporis dolor excitatur, veruntamen animus rei afficitur et angitur.

Poena criminalis est malum triste, corpus dolore afficiens, a iudice reo impositum, satisfactionis ergo, pro delicto commisso praestandae.

Hic non mouebimus quaestionem, an tortura ad veritatem extorquendam modus sit legitimus, et an tortura sit contra ius naturale, diuinum et ciuile. De eo enim disputant Philosophi, Theologi et ICti. Vid. diss. Illustr. THOMAS. *de tortura ex foris Christianorum proscribenda.* Nam docet quotidiana experientia, multos, etiam, qui grauissimos

sub

sub quaestione sustinuerunt cruciatus, non tamen fassos esse id, cuius gratia in ius fuerunt tracti, et contra alios, vel ex impatientia, et animi imbecillitate, atque horrore tormentorum, confessos esse ea crimina, quae nunquam perpetrarunt, qualia exempla reperiuntur passim apud scriptores. Verum cum hactenus alius modus veritatem extorquendi non fuerit inuentus, in hanc vsque diem quaestione tali inquisiti exercentur. Tortura interim semper ita instituenda, vt salui et illaesi permaneant inquisiti, et ne vel in morborum, vel mortis pericula incidant, disponentibus sic legibus *tit. ff. de quaest.* et *C. C. C. V. art. 59.* est enim legi naturae aequum, dolorem non damnum facere diffitentibus. Hoc obseruarunt, inter alios, *Dn. Scabini Lipsienses* in inquisitione contra nonnullos fures famosos, ob furtum, in aedibus Beichlingianis Dresdae commissum, in responsione, quae exstat in Illustr. WILDVOGEL, nostri *dissertat. de arbitrio iudicis circa torturam, pag. 22.* cuius verba ita sese habent: *Daraus so viel zu befinden, dasz bey Vollstreckung der zuerkannten Tortur, in Ansehung der starcken, wieder sie streitenden,* indicien, *und ihrer Hartnæckigkeit, auch anderer mit einlauffenden Umstænde, die Bande über den Elenbogen, iedoch mit solcher Behutsamkeit, dasz ihnen daraus an ihrem Leben und Gesundheit kein Schade entstehet, wohl zu gebrauchen, und sie auf solche Masse an denen Armen oben herunter zu schnüren.* Plura eiusmodi responsa cum cautelis prostant in CARPZOV. *Pr. criminal. part. 3. Qu. 27. et seqq.*

2. *Qu. Quot sint genera tormentorum?*

Dantur varia tormentorum genera, immo et varii gradus, qui vero omnes semper ita applicantur, ne reus, ad tormenta damnatus, sub tormentis, vel iniuste, vel intempestiue, pereat, habet enim pro se aliquam innocentiae opinionem, cum si conuictus foret, tortura haud opus esset, sanitas ita ac vita non debent destrui tortura.

Genera torturarum non tantum CARPZ. l. c. pertra-

ctat, ſed et KEISER, in *Pr. criminali, Cap. 9.* ZANGERVS, *tractat. de tortura* BRVNNEMANN. *in processu inquisitionis.* DAMHOVDER. in *processu criminali;* aliique. Hi duo genera tormentorum ſtatuunt. Primum genus eſt territio, alterum ipſa tortura.

Territio iterum duplex eſt: verbalis et realis. Illa fit per carnificem, qui verbis et geſtibus ſeuerioribus, ad torquendum compoſitis, irruit in inquiſitum, non aliter, ac ſi ipſum prehendere et torquere velit, absque tamen apprehenſione et tactu, (*Das bloſſe Vorſtellen des Scharffrichters.*) quae territio a Scabinis hisce verbis indicari ſolet: *Daſz ihr wohl befugt,* inquiſi*ten den Scharffrichter vorzuſtellen, und durch denſelben, als wolte und ſolte er ihn angreiffen, iedoch unangegriffen, befragen laſſen.*

Haec autem, ſeu realis eſt, quando carnifex, praeter minas, manus quoque iniicit, reum veſtibus denudat, ad ſcalam ducit, inſtrumentis, quibus peragitur tortura, in conſpectum ipſius ponit, forcipes digitorum affigit, (*Daumen-Stœcke, Daumen Schrauben,* ſiue forcipes, quibus pollices comprimuntur, vno verbo polletra) et iisdem pollices inquiſiti comprimit, quae territio hisce verbis dictari ſolet: *Daſz man wohl befugt,* Inquiſi*ten dem Scharffrichter auf dieſe Maſſe zu übergeben, daſz er ihn mag ausziehen, entblœſſen, zur Leiter führen, die zur Peinlichkeit gehœrigen* Inſtrumenta *vorzeigen, die Daumen-Stœcke anlegen, und damit zuſchrauben, iedoch daſz es bey dem, was iezt gedacht, verbleibe.*

Alterum genus eſt ipſa tortura. Huius tres ſunt gradus, et primus quidem, quando non tantum forcipes manibus rei affiguntur, ac pollices comprimuntur, ſed etiam adhibitis funiculis juncturae manuum arctiſſime vsque ad oſſa conſtringuntur, (vid. CARPZ. *l. c. Qu. 117. n. 60.*) quem gradum Collegia iuridica hisce formalibus dictare ſolent: *Daſz wenn* Inquiſit *ſein Bekæntniſz in Güte richtig nicht thun will, ihr wohl befugt, ihn dem Scharffrichter auf dieſe Maſſe zu übergeben, daſz er ihn mag ausziehen, entblœſſen, zur Leiter führen, die zur Peinlichkeit*

lichkeit gehœrigen Inſtrumenta *vorzeigen, die Daumen Stœcke anlegen, und damit zuſchrauben, auch, da dieſes nicht fruchtet, mit den Banden zuſchnüren.*

Secundus gradus dicitur, quando rei non tantum polletro et funiculis, ſed praeterea etiam inſtrumentis ferreis, per interualla excauatis, circa tibias applicatis, cruciantur, ſcalae imponuntur, et violenta quadam expanſione, ſeu extenſione membrorum et articulorum, affliguntur, (*Wenn* Inquiſit *auf der Leiter gezogen, oder gefoltert wird,*) qui gradus a Dicaſteriis Saxonicis his verbis pronuntiatur: *Daſz man wohl befugt, den* Inquiſit*en, mit der Schaerffe, ziemlicher maſſen anzugreiffen, und befragen zu laſſen.* Vid. CARPZ. *l. c.* Hic non obliuiſci debemus noui inſtrumenti, ante paucos annos adhiberi ſoliti, collare dictum, quando rei collo inſtrumentum ferreum, cuſpidibus obtuſis aſperum, circumligatur, et, mediante illo, per funes, ex trochlea pendentes, in altum tollitur, et iterum dimittitur.

Tertius et ſummus gradus eſt, quando carnifex, vltra iam dicta et enarrata tormentorum genera, ſeuerioribus cruciatibus vtitur, et vel candentibus inſtrumentis, vel ſulphure et igne, cutem in certis corporis partibus adurit, aut extremas digitorum partes, immiſſis infra vngues pineis cuneolis, iisque poſtmodum accenſis, aduſtione laedit, aut claues ligneos ſtergo nudo ſubiicit adiungitque, den geſpickten Haaſen, funes ex iubis equinis contortos, ſumme aſperos cruribus ſubiicit, ac circumducit, praeta pollici pedum adplicat, etc. et quae plura A ZANGERO et CARPZ. enarrantur, qui vltimus gradus an licitus ſit, iudicent alii.

3. *Qu. Quaenam ſint ſubiecta torturae?*

Cum tortura, vti ex iam dictis apparet, ſit res periculoſa; ideo, non omnes perſonas omnia tormentorum genera perferre poſſe, per ſe clarum eſt. Hinc iudicis offici-

um expoſcit, vt perſona, tormentis ſubiicienda, et phyſice et moraliter conſideretur. Vid. WILDVOGEL. *diſſert. cit. cap.* 7. Quaenam vero perſonae conditiones morales ſint, expoſuit TABOR, *in tract. de tortura.* et CARPZ. *l.c.* vniuerſalem, ponit regulam, quod nempe omnes tormentis ſubiici poſſint, niſi qui ſpecialiter, vel ob defectum iudicii, vel corporis debilitatem, aut etiam dignitatem, reperiuntur exempti. Nos Iuris conſultis relinquimus conditiones morales atque politicas perſonae. Quales vero perſonae, propter defectum iudicii, et corporis imbecillitatem, a tormentis ſint exemptae, in praeſenti examinabimus.

Abſolute a tortura, ſi non omnimode, tamen ad certum tempus liberantur 1.) *grauidae.* Hac enim de re expreſſa lex reperitur *leg. 3. ff. de poenis.* Ratio tam a foetus, quam matris parte eſt petenda. Foetui enim, qui adhuc in ventre eſt, non nocere debet calamitas matris. Maximum autem detrimentum ei imminere, ſi mater torqueatur, obſcurum eſſe non poteſt illi, qui conſiderat, quod foetus per vaſa vmbilicalia atque placentae cum vtero matris cohaereat, atque per ea nutrimentum ſuum capiat. Quod ſi igitur mater in ſcala pendere cogeretur, aut funibus, hinc, illinc, cum impetu, traheretur, vincula illa facile lacerarentur, ſicque embryo ſuo priuaretur nutrimento. Ergo ad abortum neceſſario foetus promouetur. Talis tortura neque vltimis menſibus, neque primis diebus poſt conceptionem permittenda. Vltimis menſibus fieri non poteſt, ob molem foetus, qui facile a leui et extraordinario motu matris laeditur, teſte experientia. Nec primis menſibus haec tortura locum inuenit. Si enim famula illa, de qua HIPPOCRAT. *de Lib. de natura puerorum*, loquitur, ſeptimo a conceptu die abortum promouere potuit per ſaltum, multo magis per motus tormentorum hoc fieri poteſt. CARPZ. quidem putat, quod primis menſibus grauida torqueri poſſit ex hac debili ratione, quia foetus in tali grauida nondum animatus ſit. Aſt 1.) ille aeque

peccat

peccat, qui nascentem deturbat animam, quam ille, qui iam natam eiicit. Insuper ex antecedentibus iam notum est, quod omnes Medici recentiores, statim post impraegnationem animam foetui accedere, statuant. Sequitur ideo, quod nec territio verbalis in grauidis locum inueniat. Nam terror omni tempore abortum promouere potest. Quando autem abortus fit, non tantum foetus perit, sed et mater in pericula mortis, vel grauissimorum morborum, incidere potest, quae vel ab haemorrhagia, vel inflammatione, et subsequente vteri exulceratione, dependent.

A tortura immunes sunt 2.) *Puerperae.* Et quamuis *L. quaeritur* §. 2. *ff. de aedilitio edicto*, sanae et integrae valetudinis pronunciantur; misera tamen semper earum est conditio, teste ipsa Sacra Scriptura. Debiles enim sunt propter gestationis molestias, debiles sunt propter sanguinis fluxum, quem Medici lochia vocant. Hinc, quam diu sanguinis fluxus durat, disponuntur per se ad febres, purpuram, haemorrhagias vteri, inflammationes. Et quod terror purperas insigniter laedere possit, quotidiana ostendit experientia. Ab ICtis quadraginta dies quidem assignantur, intra quos purperas torqueri prohibetur; ast et hic terminus non semper sufficit ad restituendum vteri statum naturalem, immo ossium innominatorum conniuentiam, nihil dicam de morbis, a partu inprimis difficili interdum accersitis, qui in longa satis temporis spatia interdum perdurant.

3.) *Lactantes* quoque a tortura liberantur. Nam 1.) infans laeditur, quoniam debitum nutrimentum, nec in conuenienti quantitate, nec qualitate, capere potest. 2.) Foemina ipsa enormiter laeditur, partim quia facile a violenta super scalis extensione vasa mammaria dilacerantur, partim quoniam haemorrhagia vteri facile de nouo excitatur, partim quia in epilepsiam, et alia grauissima symptomata, hisce subiectis communia, incidere possunt. 3.) Hactenus in criminalibus vsu receptum fuit, quod non torqueantur homines,

nes, nisi ieiuno ventriculo. Lactantes vero diu ieiunia perferre nequeunt. Quando itaque, iuxta ICtos, impastae personae tantum sunt torquendae, lactantes quoque ex hoc capite torturam perferre non possunt. Nam abstinentia a potu et cibo in iis facile lipothymiam praestat. Cum vero cibis nutritae personae ad torturam ducuntur, in illa quasi suffocantur, vel vomitus, et excretiones alui, ad minimum hunc actum solennem dehonestare possunt. 4.) Nec ipsa territio in lactantibus locum inuenit. A terrore enim nerui, et uasa omnia, crispantur, et conuelluntur, lacque in mammis coagulatur. Oriuntur inde nodi mammarum, tumores inflammatorii, imo plane cancrosae exulcerationes, quae cum horrendis ac lethalibus coniunguntur symptomatibus. Porro lac a terrore in virulentum sane liquorem commutatur, qui, ab infante haustus, epilepsiae autor esse potest. Errant ideo CARPZ. et BRVNNEMANN. qui leuius lactantes torqueri posse arbitrantur, modo scilicet hac ratione alumno nihil nutrimenti decedat, quod per naturam tamen est impossibile.

4.) Nec *menstruantes*, siue illae, quae fluxu mensium laborant, facile torturae subiiciuntur. Nam 1.) a leuissimo dolore, terrore, alioue corporis affectu, facile fluxus irregularis contingit, sicut etiam mensium suppressio, quae desinit postea vel in chlorosin, vel hydropem, vel phthisin, aliaue mortifera symptomata. 2.) Quando torquentur, facillime vasa vteri, sanguine turgida, ab extensione illa violenta dilacerantur, et sic in haemorrhagiam lethalem incidere possunt. Vid. ZACHIAS *Lib. VI. tit. 2. qu. 2. No. 10.* Imo nec territio locum inuenit si tales gaudent systemate neruoso magis sensibili.

5.) Immunes sunt a tortura *infantes*, consentientibus legibus *ff. de quaestionibus*, imprimis quoniam perfectae cognitionis et iudicii haud sunt capaces, nec intelligunt id, quod agunt, imo constitutio ipsa, siue robur corporis, in hisce subiectis torturam non admittit. Membra enim non sunt satis

solida.

ſolida. Hinc oſſa, ligamenta, vaſa ſanguifera, nerui et tendines facile in his ſubiectis laeduntur, a quibus laeſionibus mortifera interdum producuntur ſymptomata.

6.) Quoque immunes ſunt *decrepiti*, iuxta legem *ſi quis in graui*, §. *ignoſcitur ff. ad S. C. Syll.* Senes enim ſunt bis pueri, phyſice et medice, ideo quoque moraliter ac iuridice. Corporis namque vires non tantum deficiunt, vnde inclinant ad lipothymias, ſed et inſuper corpus poſſident aridum, vnde oſſa, ligamenta, tendines et vaſa in tortura facile franguntur. Ne quidem territio in iis facile locum inuenit, quia, ob debilitatem ſpirituum, facile incidunt in apoplexiam. Et, quod maximum, vigor mentis et iudicii in ſenili aetate imminuitur. Hinc ab ipſis legibus infantibus et furioſis aequiparantur. Vid. FORTVN. FIDELIS *Relat. Med. Lib. II. cap. 2. p. 231.* CARPZOV. QVAEST. *118. No. 38.*

7.) Neque ii ſunt torquendi, in quibus mens aegrotat, quales ſunt *ſtolidi*, *ſtupidi*, *amentes*, *melancholici*, *maniaci*, quoniam in illis iudicium et intellectus deficit.

8.) Huc pertinent *muti*, *ſurdi*. Hi enim fatuis annumerantur, quia auditus mentis porta eſt, per quam ipſe intellectus inſtruitur. Nec ex mutis confeſſionem, niſi *per ſigna loqui didicerint*, veram iudex extorquere poteſt. Imprimis vero muti, a natiuitate tales, vtplurimum ſenſu auditus deſtituuntur. Vid. ALBERTI *Comm. in Conſt. Crim. Carol p. 198. ſeqq.*

9.) *Valetudinarii, re vera tales*, neque territionem, neque ipſam torturam, ſine notabili morbi exacerbatione, perferre poſſunt. Tales ſunt *paralytici vertiginoſi cataleptici apoplectici*, *epileptici*, *phthiſici*, *hydropici*, ad *haemorrhagiam* et *haemoptyſin diſpoſiti*. Hi itaque omnes ab omni torturae genere excipiuntur. In genere *omnes iſti*, *qui laborant morbis veris non ſimulatis*, *a medico per ſigna cognitis*, *quatenus a tortura augmentum accipiunt*, *non ſunt torquendi*.

C. C. C. V. art. 59. expreſſe monet, quod rei valetudo, et naturae debilitas, vel infirmitas, ſemper in quaeſtione criminali a iudice obſeruetur. Hinc inquiſiti, pro diuerſae

ſanitatis conditione, excipiuntur etiam a certis torturae gradibus atque ſpeciebus. 1.) Speciatim torturam ſcalae perferre non poſſunt illi, *qui proximi ſunt annis pubertatis*, item, qui *in ſenili aetate conſtituti* ſunt. Nam, propter ligamentorum, tendinum et oſſium imbecillitatem, eiusmodi validam membrorum extenſionem, ſine enormi iniuria ſanitatis perferre non poſſunt. Et in genere in omni torturae gradu eiusmodi ſubiecta mitius tractantur.

2.) Apolletris (Daumenſtöke) liberantur illi, qui *paronychia*, ſiue tumore enormi inflammatorio afficiuntur. Si enim horum pollices comprimuntur, non tantum inflammatio augetur, ſed et gangraena, ſphacelus, imo caries oſſium, ita acceleratur. Item a praelis liberantur qui vlcere quodam grauiori in pollice gaudent, nec non qui aneuriſmate brachii laborant, haec enim mala a tali tormentorum genere grauiora redduntur.

3.) Quaeſtio oritur, an illi, qui *chiragra* laborant, funiculis et polletris ſint torquendi, item, an *arthritici* ſint tortura ſcalae afficiendi? Alii enim hic affirmantem, alii contra negantem amplectuntur ſententiam. Affirmatiua placet GVIL. FABRIC. HILDANO, *cent. 1. obſ. 79.* qui refert, plurimos per torturam ab arthritide et podagra liberatos fuiſſe. Nos vero, cum celeberrimo AMMANNO, in *Med. Crit. p. 159.* torturam pro remedio medico non aeſtimamus, nec podagricis torturam commendamus, potius affirmamus, quod cum podagra ipſa ſit tortura, ergo afflicto non ſit addenda afflictio. CARDILVC. in *offi:in. ſanitatis, cap. 161.* egregiam de hoc morbo ſiſtit obſeruationem: Deus, inquit, articulari morbo flagellat ignauos, luxurioſos, et caſtigat voluptuoſos, tradens plerosque inuiſibili torturae, ſiue carnifici, nimirum podagrae, cuius tormentis, etiam in molliſſimis lectis, ſubiiciuntur, vt vix a corporeo carnifice peius torqueri poſſint; ipſi tamen tam ſtupidi ſunt, vt neque auertant, neque delicta ſua, vti alias in tortura conuenit, confiteantur. Ab equuleo dimiſſi in priſtinae vitae inſtituto

pergunt.

pergunt, praetereaque itidem ad torturam rurſus rapiuntur, donec tandem in iisdem intereant. Vtinam hocce monitum notent et obſeruent omnes illi, qui libidinoſam exercent iuuentutem. Arthritici itaque cum inflammationibus articulorum ſint expoſiti, merito a tortura funiculorum et ſcalae immunes manere debent, quoniam alias in maiora inflammationum pericula incidere poſſunt.

4.) a Fidiculis (Schnüren) inprimis liberantur *a*) iuuenes, facile enim articulatio manus extremae cum cubito laedi poteſt. *b*) Qui vlcus, vel cicatricem, vel luxationis, aut fracturae veſtigium in his partibus, quibus hoc tormenti genus adplicatur, monſtrant.

5.) a Compedibus, (Spaniſche Stiefeln) quibus nempe ſurae conprimuntur, liberantur, qui pedes habent oedematoſos, qui in tibiis vlcera inueterata, tophos, gummata gallica etc. gerunt.

6.) A tortura ſcalae excipiuntur, qui *brachiorum fracturam, vulnera et vlcera* paſſi ſunt, quo pertinent illi, qui *fonticulos* geſtant, nec non iſti, qui aneuriſma, quod in tumorem expanſa eſt arteria in brachio habent. Dilacerantur enim ita brachia inprimis, ſi illa ab vlceribus antiquis, vel longo fonticulorum vſu, ſint emaciata. Vid. ZACCH. *L. 6. tit. 2. Qu IV.* Porro ſi fractura oſſium laborauerunt, illa denuo facile franguntur, dum callus perfectam ſoliditatem oſſeam vix acquiſiuit. His annumerantur *illi* merito, *qui in tibiis vlcera inueterata ſcorbutica, venerea, gummata gallica, tophos, tumoresue alios fungoſos gerunt.* Hi a compedibus merito liberantur. Item illi, quorum pedes ab *oedemate* tument, fauente C. C. iam citata.

7.) A ſcalae tormentis excipiuntur *illi, quibus caput conſtanter dolet.* Cum enim cephalalgia et cephalaea afflicti vix ambulare audeant, ob augmenta dolorum, multo magis tale quid exſpectandum, ſi concutiantur in tortura. His annumerantur merito *vertiginoſi*, qui ſub tormentis facile in apoplexiam incidunt, cum prodromus apoplexiae vertigo eſſe ſoleat, item *epileptici*, iuxta CARPZ. *pr. C. part. 3. qu. 18.* Si e-

nim vera epilepſia adeſt, a tortura liberantur, et extraordinarie puniuntur, vel ſi incidunt durante tortura in epilepſiam, ſtatim a tortura remittuntur. Hinc Dn. Scabini Lipſienſes, in diſſ. WILDVOGEL. citata, p. 43. in hoc caſu ita reſpondebant: *Im Fall aber, bey der* Execution *dieſes Urthels*, Inquiſit*en die Schwere Noth anwandelte, iſt ſo fort damit einzuhalten.*

8.) A tortura ſcalae excipiuntur *illi, qui morbo pectoris laborant*, v. g. *phthiſi, aſthmate, dyſpnoea, vomica, tuſſi inueterata, diſpoſiti* item *ad haemoptyſin, cordisque palpitationes.* Hi enim facile incidunt in ſuffocationem, vel momentaneum mortis periculum. Nam organa, iam laeſa, a forti extenſione et quaſſatione facillime dilacerantur, empyemata, ſanguinis excretiones, inflammationes et ſuffocationes producuntur.

9.) *Debiles*, et *ad lipothymias diſpoſiti*, facile a tortura ſcalae in ſyncopen incidunt, *gibboſi* in ſuffocationem, *hydropici* in mortis pericula. Ideo torturae ſcalae non ſubiiciuntur. Hunc pertinent ſuo modo *obeſi*, ob metum ſuffocationis.

10.) *Hernioſi*, ſiue ſit hernia ſcrotalis, ſiue inguinalis, ſiue vmbilicalis, quando in ſcala torquentur, non tantum in vomitum incidunt, ſed et ſtrangulationem. Hernia enim incarcerata producitur, quae miſerere mei, ſiue ileum, poſt ſe relinquit.

11.) Collarii, ſic dicti, cruciatus perferre non poſſunt, absque vitae et ſanitatis iniuria, illi, qui *angina* laborant, aut quorum *tonſillae* atque *parotides* glandulae inflammatae exiſtunt, vel ſuppuratae, quo pertinent et illi, qui *ſtrumas* et *ſcrophulas* in gutture gerunt. Periculum enim eſt, ne inflammationes augeantur, vel de nouo accedant, aut reſpiratio turbetur, aut ſuffocatio inducatur.

Caeterum iis, qui plura de hac materia, et quae ſatis ſolide ſunt ſcripta, legere cupiunt, commendamus ſequentes Autores nimirum ALBERTI *Diſſ. de Torturae ſubiectis Hal. 1730.* eiusque *Comment. Medic. in Edictum Aedilitium. Hal. 1738.* BENI. EWALD *Diſſ. de Torturis, Regiom 1707.* IO. SAM. FRID. BOEHMERI *Diſſ. de eo quod iuſtum eſt circa torturam valetudinariorum. Hal.*

Hal. 1729. GVIL. ZACH. CRAMERI *Diss. de Tortura eiusque vsu et effectibus. Lips. 1742.* IO. PH. EYSELII *Diss. de morbis ob quos rei ad torturam fiunt inhabiles. Erf. 1711.*

4. Qu. Quid statuendum de corporis poenis afflictivis?

Nulla infirmitas quidem ab vltimo supplicio reos immunes reddit; interim tamen interdum occurrunt conditiones personarum, quae a iudice non sunt negligendae.

Excipiuntur hinc ab vltimo supplicio 1.) *Iuniores*, qui scilicet intra impubertatis annos sunt constituti. *L. fere in omnibus ff. de regulis iuris. L. Infans ff. ad leg. Corn. de sicar.* Quia enim delictum ex iudicio et animo doloso delinquentis aestimatur; iuniores autem perfectum iudicium non possident: Ideo mitius puniuntur, nisi malitia suppleat aetatem, iuxta *C. C. art. 164.*

2.) *Decrepiti*, quoniam mentis alienationem coniunctam habent, etiam mitius puniuntur. *L. 7. §. 3. ff. ad S. C. Silan.* Quo pertinent *furiosi, maniaci* et *melancholici*, *L. Infans ff. ad leg. Cornel.* In maleficiis enim voluptas spectatur, non exitus. Illa autem in allegatis personis rite dirigi nequit, non dicam quod furore perciti suo furore satis puniantur. *L. 14. ff. de offic. praesidis*, CARPZ. *P. C. part. 3. Qu. 145.* quidem arbitratur, quod, si furiosi eo tempore crimina committant, quando adsunt eorum lucida interualla, tunc participes huius priuilegii fieri nequeant. Sed quid de lucidis interuallis furiosorum sit statuendum, videbis in Illustr. THOMAS. diss. alibi citata, *de praesumtione furoris atque dementiae.*

3.) Ab vltimo supplicio ad tempus excipiuntur *praegnantes*, iuxta leges *ff. de poenis. L. si praegnans ff. de statu hominum*, ne scilicet innocens partus, cum matre, pereat, item *puerperae*, quae, iuxta vsum modernum, non nisi exactis sex septimanis puniuntur. Nec grauidis promulgari quidem sententia mortis, sine abortionis metu, poterit.

4.) Poenis corporis afflictiuis mitius puniuntur *pueri, pubertati non proximi,* ob teneram corporis structuram, item *senes* debiliores atque decrepiti. Nam possunt ita interire, quoniam possident neruos debiles, ac corpus exsangue. Similis causa militat pro *inualidis*, atque ex morbo debilibus. Aut enim morbi sopiti denuo excitantur, aut praesentes maiora capiunt incrementa. In specie autem ab amputatione narium excipiuntur illi, qui *ozoena*, alioue vlcere narium, laborant. Hoc applicari debet quoque ad illos, in quibus, propter crimina militaria, amputatio aurium est suscipienda. Quando enim *strumis, scrophulis, parotidibus*, aut vlcere quodam, afficiuntur, tunc haec mala facile exacerbantur. Denique, qui ex affectu articulorum aegrotant, amputationem manuum, absque vitae periculo, sustinere vix possunt.

Ad poenas corporis afflictiuas referri denique potest *exilium, relegatio* et *carcer*. Inter exilium et relegationem statuitur differentia, quod exules libertatem habeant, sese vel ad hanc, vel ad aliam regionem conuertendi, relegati autem obstringantur, permanere in certa tantummodo regione. Si itaque relegati aërem in illa regione perferre non possint, et in morbos incidant; tunc locus relegationis merito mutatur, monente ZACCHIA, *lib. 6. tit. 2. qu. 8.* Carcerem quod concernit, ille ad reos vel detinendos, vel puniendos, plerumque adhibetur. Quando autem in carcere aër peccat prauitate effluuiorum, vel humiditate, vel frigiditate nimia, tunc merito mutatur, monente CARPZ. *part. 3. qu. 130.* Iudices, inquit, caueant, ne miseros reos detrudant in carceres horribiles atque immundos, id quod absque vitae detrimento vix fieri potest: Nam per id interdum ansam praebent delinquenti, delictum maius in se ipsum perpetrandi.

S. D. L. & G.

INDEX



INDEX CAPITVM.

INDEX



INDEX RERVM.

A.

Aetas



INDEX CAPITVM.

INDEX RERVM.

A.

Arcti-

T.

 medullæ

INDEX AVCTORVM.

FINIS.

[illegible] 1864. [illegible]

Aus G. L. P. Trieger's Bibl.